



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

VII. Friderici Reiffenbergii è Soc. Jesu Presbyteri de divinâ Gratiâ rebusque
ceteris eò pertinentibus Dissertatio theologica, dogmatica, polemica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

FRIDERICI REIFFENBERGII
E SOCIETATE JESU PRESBYTERI
DE
DIVINA GRATIA
REBUSQUE CÆTERIS
EO PERTINENTIBUS
DISSERTATIO
THEOLOGICA.



Amico Lectori &c.

ACCIDIT non rarè mihi, ut privatis congressibus eos in homines incidere, quibus de gravissimis fidei nostræ mysteriis continuò luberet disserere, nullà ferè frequentius in medium allatà controversià, quàm quæ circa auctoritatem Ecclesiæ, aut gratiæ, & prædestinationis dogmata versatur. Stimulo id mihi fuit, ut cùm Theologicis disciplinis dabam operam, in huiusmodi quæstiones accuratius paulò, quàm cæteras perdiscendas incumbere. Quamobrem Augustini opera polemica omnia; Petavium, Thomassinum, Fenelonium, Daniele nostrum, aliòsque qui hoc in argumento felicius versari fuere, non indiligenter volutavi, indèque ferè hanc ipsam, quam oculis subjicio, dissertationem conscripsi; non alios certè tum temporis in usus destinata, quàm ut memoriæ, quâ nil fallacius est, interdum consuleret; telàque subministraret ad gratiæ hostes, si quando ferret occasio, retundendos. Verùm enimverò ex quo animum ad Maffei historiam vertendam appuli de hac quoque opellà in lucem emittendà cæpi cogitare. Futurum enim existima- bam, ut, quibus forsassis ob negotia non vacat vastam hanc à capite ad calcem emetiri historiam, illi minimùm ex hocce commentariolo universam materiæ subjectæ ideam combiberent, simulque intelligerent, quantum ab Ecclesiæ atque Augustini dogmate Iprensis schola dissideat. -- Cæterùm qualemcunque hanc lucubrationem meam trifariam partitus sum. *Pars prima* universa Ecclesiæ, & scholarum dogmata uno velut amictu complectitur: *Alter* in Augustini mentem operosius inquiri; ac *tertia* demum hæreticorum tibi detegit, ac refellit errores. Quà quidem in re nè actum omnino agerem, idèmq; denuò, quod in Maffeo habes, obtruderem, ad loca ab ipso diligentius pertractata satius duxi quandòque lectorem remittere. Cæteris ita porro digestis, ut quemadmodùm ex dictà historià exercitatio hæc lucis accipit plurimùm; ita & aliquid in ipsam possit refundere. Tu interim, si voles, labore hoc nostro utere, & vale.



CONSPECTUS

TOTIUS DISPUTATIONIS.

Pars I. Dogma Ecclesiæ.		§. III. De gratiâ sufficiente.
Cap. I. <i>G</i> ratie definitio, proprietas, divisio.	II. Gratiâ actualis, ejusque necessitas.	§. IV. De gratiâ inefficaci.
		§. V. De gratiâ efficace.
		§. VI. De prædestinatione.
		§. VII. De libero arbitrio, & merito hominis.
Pars II. Dogma Augustini.		Pars III. Dogma Hæreticorum.
PROLEGOMENON de Auctoritate Patrum, ac præcipuè Augustini in re dogmaticâ.		Caput I. Referuntur & refelluntur hæreticorum Systemata.
Caput I. De libris S. Augustini hæc in re celebrioribus.	§. I. Liber de gratiâ Christi, & peccato originali.	§. I. Systema Pelagii, & Semipelagianorum.
		§. II. Systema Calvinii & Fansenii.
		§. III. Ostenditur, quinque propositiones extrare in Fansenio, imò peiores quasdam, extractis.
		Caput II. Diluuntur argumenta hæreticorum.
		§. I. Respondetur Calvinio.
Caput II. Summa doctrinæ Augustiniæ.	§. I. De gratiâ generatim acceptâ.	§. II. Respondetur Fansenio.
		Caput III. Ostenditur Recentiores convenire cum antiquioribus hæreticis.
		§. I. Conveniunt moribus.
§. II. De gratiâ naturæ innocentis.		§. II. Conveniunt etiam doctrinâ.
		Epilogus.

DISSERTATIONIS
PARS I.
DOGMA ECCLESIAE.

CAPUT I.

Gratiae definitio, proprietates, divisio.

De gratiâ uberius non nihil disserturi initium faciemus à definitione gratiæ. Omnis quippe, quæ à ratione suscipitur de aliquâ re Institutio, ut monet Tullius,¹ debet à definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

1. GRATIÆ autem nomen latè patet; neque una, ut constat, voci huic subjecta est notio. Pressius tamen ac Theologicè, uti modò facimus, accepta rectè definiri potest: *Donum creaturæ rationali, gratis, supraque vim omnem, atque exigentiam suæ naturæ concessum, ut per illud Divinæ consors naturæ, atque æternæ beatitudinis, in clarâ Divinæ essentiae visione consistentis particeps efficiatur.* Quod donum sit, constat ex vocis etymo; & unanimi Patrum loquelâ; quod exigi ob opera naturalia non possit, docet Apostolus ad Rom. & ex ipso Concilio.² Si gratia jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Reddit porro nos ad salutem æternam idoneos, ut liquet ex Conciliis adversus Pelagium; Cœlestis enim beatitudo est proximus finis gratiæ; remotus, Dei major per nos promovenda gloria. Pertinet quoque ad cæteras ejus proprietates, quod afficiat intrinsecè animam, vel permanendo, atque inhaerendo, ut habitualis; vel transeundo ut actualis.

2. GRATIA porro hoc modo accepta considerari à T. T. solet in ordine ad status, seu conditiones diversas hominis. Status autem nomine hic intelligitur certa conditio, aut modus se habendi totius humanæ naturæ in ordine ad suam finem ultimum secundum legem Divinæ providentiæ. Qui ordo cum duplex in homine sit, unus quo tendit ad finem; alter quo eodem fruitur, duplex quoque distingui status solet, alter termini, seu patriæ, solis beatis proprius; alter viæ ad terminum, qui omnibus suo nondum fato functis communis est. Status viæ rursùm alius est præsens, alius possibilis; ad præsentem pertinet status naturæ innocentis, lapsæ, & reparatæ per Christum. Possibilis itidem triplex est: Primus naturæ integræ; in quo foret homo sine pec-

cato, & gratiâ saltem habituali, & sanctificante; quanquam non sinè omni vel naturali, vel supernaturali auxilio, quo à miseris, quas modò patimur, redderetur immunis. Alter: *Naturæ lapsæ non reparatæ*, nec reparandæ, in quo mansurus erat homo si redemptor non venisset. Tertius demum *naturæ puræ*; in quo homo esset sine peccato, & gratiâ, iisdem tamen, quibus modò ærumnis obnoxius.

3. Hunc possibilem non esse contendunt recentiores hæretici: Possibile contra defendunt Catholici Doctores cum S. Thomâ³ dicente: *Poterat Deus à principio, quando hominem condidit, e iam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret: Ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens.* Suadet id ipsum auctoritas Pontificum, à quibus prohibemur cum Bajo dicere: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Suadet & Augustinus cum ante Episcopatum contra Manichæos disputans; ⁴ rùm post Episcopatum, & sub ipsum adeò vitæ finem, priora his verbis confirmans: *Ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis naturalia primordia, non sic culpandus esset, sed laudandus Deus, ut in eodem libro 3. disputavimus.* Ex quibus conficitur nullâ illum ex parte repugnare: Non ex parte hominis, ut ostensum est: Non ex parte Divinæ justitiæ; quia quod gratis concessum est, citra injuriam eripi potest: Non ex parte ignorantiae & difficultatis; uti Augustinus jam docuit. Non fuisset enim hæc supplicium peccati; sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.⁵ Neque demum ex parte concupiscentiæ; quippe quæ suapte naturâ vel habitualis est, vel actualis appetentia boni sensibilis, & delectabilis; non autem ut mala quandoque est ob quædam adjuncta, puta legem prohibentem, aliósque urentis fines extrinsecos. Hinc est, quod Tridentinum non alio eam sensu peccatum ab Apostolo vocari delectaret; nisi quatenus ex peccato est, tanquam pœna, & ad peccatum inclinât. S. Augustinus etiam illam malam vocat pluribus locis; sed quando non ceditur.⁷ Hinc ait contra 2. epist. Pelag.⁸ *Solius autem carnalis voluptatis causâ*

(1) Cic. lib. 1. de offic. (2) S. Paul. Rom. 11. item Concil. Milevit. Arausic. Carthag. & nuper Trident. Sess. 6. c. 8. (3) in 1. dist. 31. qu. 1. art. 7. ad 3. (4) l. 3. de lib. arb. c. 20. (5) de bon. persév. c. 11. & 1. retr. c. 9. (6) l. 3. de lib. arb. c. 20. n. 56. (7) l. 5. cont. Jul. (8) c. 16. n. 33.

libidini consentire peccatum est. Sed de his plura Parte secundâ. Vide etiam histor. Cl. Masset. l. II. n. IV. 7.

4. DATUR porro gratia in statu naturæ lapsæ ob merita Christi redemptoris: Primo tamen homini ante lapsum ex solâ liberalitate Dei conditoris fuit concessa. In primo Catholicis rectè assentiuntur hæretici; in secundo quàm malè sentiant eum hæreticis nonnulli Catholici edocuit nos Ecclesia per summos Pontifices hunc Baji articulum damnautes: *Integritas primi hominis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio; aliosque id genus. Docuit id ipsum Augustinus, cujus hæc sunt de hominis integritate effata: ¹ Homo ad Dei similitudinem factus, non est verus filius; & ideo fit gratiâ filius; quia non est naturâ. Mortalis erat conditio corporis animalis: Immortalis autem beneficio conditoris. Gratia Dei magna erat, ubi terrenum corpus bestialem libidinem non habebat: Quia ergo vestitus gratiâ non habebat in corpore nudo, quod puderet, spoliatus gratiâ sensit, quod operire deberet. Ex quo liquet, quod statum quendam naturæ chimericum confinxerit Bajus, tribuens naturæ, quod proprium erat gratiæ.*

5. GRATIÆ sic explicatæ varia sunt genera, quibus recensendis immorari modò non vacat: Propria hujus loci est gratia interior, *gratum faciens*, quæ in propriam habentis utilitatem, & suapte naturâ, & Dei ordinatione potissimum cedit; atque in actualem porro & habitualement à T. T. dividitur.

CAPUT II.

Gratia actualis, ejusque necessitas.

6. GRATIA actualis est donum Dei in animâ, vel ejus potentiis receptum; quod pro certâ temporis opportunitate ad singulos actus salutare conceditur; & cum ipsâ operatione, vel operandi occasione transit. Hæc pro vario, quod exercet, munere variè quoque dividitur: Ac primò quidem in *excitantem*, & *adjuvantem*; deinde in *operantem*, & *cooperantem*; 3tio in *prævenientem*, *comitantem*, & *subsequentem*. Occasionem hujus partitionis Scholasticis præbuisse videtur Augustinus l. de grat. & lib. arb. c. 17. ubi ait: *Deus cooperando perficit, quod operando incipit; incipit nempe operando per gratiam excitantem, eandemque prævenientem; perficit cooperando per adjuvantem, & comitantem, . . . ut velimus, sine nobis operatur. Cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.* Vide Dissert. nostræ P. II. c. 2.

7. GRATIA excitans, etiam omnium prima, non consistit in mortuâ qualitate, aut

motione non vitali, se habente per modum principii; sed in actibus indeliberatis nostri intellectus, & voluntatis; qui à solo Deo fiunt *in nobis sine nobis*, hoc est physicè quidem, at non liberè cooperantibus. Consonat hæc sententia Conciliis, & Patribus, qui aliis gratiam excitantem nominibus passim non insigniunt, quàm quibus aliquid intimo mentis nostræ sensu perceptibile, adeoque vitales animæ motus significantur. Appellatur quippe à Tridentino Sess. 6. cap. 5. *Vocatio*, quæ est Dei per J. C. præveniens gratia, à quâ sumendum est in adultis justificationis exordium. *Spiritus S. illuminatio*, atque *inspiratio*, per quam Deo tangente cor hominis homo ipse aliquid agit. A Celestino Papa: ² *Paterna inspiratio quæ preparatur voluntas à Domino; & ut boni aliquid agant suorum ipse tangit corda fidelium.* Ab Augustino: ³ *Vocatio, bonæ voluntatis initium, inspiratio cavitatis, cogitatio bona, boni cupiditas.* Sed de his plura Parte II. Quare gratiam excitantem universè acceptam rectè quis dividat in *illuminativam*; quâ innotescit quod latebat; & *affectivam*, quâ suave fit, quod non delectabat. Sic enim profectò sensisse videtur Augustinus; ⁴ omne excitantis seu prævenientis gratiæ adjutorium, quod ad faciendam, perficiendamque justitiam à Deo deprecantur Sancti, ad duo hæc genera revocans, *lucem quâ illuminentur tenebræ eorum; & suavitatem, quâ det fructum suum terra eorum.* Quocirca mox subdit: *Quid aliud deprecamur, quàm, ut aperiat, quod latebat; & suave faciat, quod delectabat?*

8. GRATIA adjuvans, ut est alterum actualis gratiæ membrum, excitanti, oppositum nunquam datur in homine, nisi hominæ aliquid liberè simul operante. *Neque enim*, inquit Augustinus: ⁵ *Adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Et rursus: ⁶ *Spiritus Dei, qui te agit, agentibus adjutor est. . . Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Non igitur est principium actionis vel morale; quia sic ab excitante nihil differret; vel physicum; quia hoc potest, ac solet adesse, etiam homine oriente, aut liberè nihil agente: Sed realis ac physica salutaris operis effectio, in quantum est Dei nobis liberè operantibus cooperantis actio. Principium autem hujus actionis physicum, quod gratia adjuvans in actu primo; vel ut quod vocari potest, licet in justis non sit solus Deus; sed etiam habitus virtutum infusi: in peccatore tamen sine habitu actum supernaturalem eliciente constituendum existimamus cum Suarezio ⁷ in principio increato; sive Divinâ omnipotentia; vel

(1) l. 3. cont. Maxim. c. 16. (2) Epist. ad Epp. Gall. (3) Vid. lib. ad Simpl. de bon. persever. & alios passim. (4) lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 19. (5) ibid. c. 5. (6) Serm. 13. de Verbis Apost. c. 11. (7) Suar. l. 3. de auxil. c. 19.

ipso Spiritu Sancto extrinsecus nobis assistente. Huic enim per *approbationem*, ut Scholastici loquuntur, operationes gratiæ peculiari quâdam ratione tribuuntur, uti potentia opera Patri; & sapientia filio.

9. Dux aliæ gratiæ actualis divisiones cum priore, si rem ipsam spectes, coincidunt. Est enim gratia excitans in primis *operans*, ac *præveniens*; quia in genere causæ formalis intrinseca nos facit potentes operari salutariter; atque ut moraliter excitans liberum nostræ voluntatis præcedit consensum. Est deinde gratia adjuvans & *cooperans*, & *comitans*; cum sit ipsa Dei nobiscum liberè operantibus operantis actio. Denique gratia *subsequens*; quæ est tertium ultimæ divisionis membrum, potest vel operi salutari, tanquam gratiæ prævenientis effectui rectè attribui; vel gratiæ excitanti, non omnium primæ; sed quâ, qui priore bene sunt usi, ad progrediendum in viâ salutis ulteriùs excitantur. Facem hic iterum præfert S. Augustinus, cujus hæc sunt verba: ¹ *Deus cooperando perficit; quod operando incipit*: Incipit nimirum operando per gratiam excitantem, eandemque prævenientem; perficit cooperando per adjuvantem, & comitantem. ² *Ut velimus, sine nobis operatur*: Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur. Quod idem planè est cum eo, quod alibi dicit: *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. ³ Præparat per gratiam prævenientem, quam dum in nobis sine nobis liberè operantibus efficit, ut velimus, sine nobis operatur: Adjuvat per comitantem, quâ, cum liberè volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.

10. QUANTA sit Divinæ gratiæ ad opera salutaria necessitas, constat abunde ex SS. literis P. P. & pluribus contra Pelagium, & Semipelagianos habitis Conciliis. Joannis 6to legimus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit illum*: Et c. 15. *sine me nihil potestis facere*. Ex quibus potissimum locis Concilium II. Arausicanum ita statuit Can. 1. cap. 7. *si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere; sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu*. Consonat cum hoc caput 6tum, & 8vum, ubi eadem ferè, quæ olim ab Augustino, immutatis parumper verbis dogmata proponuntur. Quibus etiam nuperrimè subscripsere P. P.

Tridentini Sess. 6. Can. 1. & 3. Nihil igitur, quod ad finem conducatur supernum sive adjuvante & excitante Dei gratiâ agere quisquam potest, aut velle; nihil inchoare, vel perficere: Nec tantum hæc omnia & horum singula non potest *facile*; sed nè *simpliciter quidem*. Quin & illud cum communi Theologorum censemus verissimum; nullum actum intrinsecè naturalem, posse intrinsecè salutarem esse per modum dispositionis moralis positivæ, etiam remotæ; nec lege stabili in præsentis rerum ordine constitutum esse, ut facienti, quod in se est *viribus naturæ* gratia non denegetur. --

11. EGUISSE etiam in statu naturæ integræ hominem supernâ Dei gratiâ ad observandas leges supernaturales, & vitam æternam promerendam, certum est, post damnatam hanc Baji propositionem: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera*. Posse tamen hominem, etiam in statu naturæ lapsæ suis viribus relictum, cum concursu Dei generali opus aliquod moraliter bonum, nullaque peccati labe infectum exercere; ⁴ levem aliquam tentationem vincere; Deum insuper ut auctorem naturæ aliquo modo cognoscere, & amare, Doctores Catholici admittunt. Neque per hoc aut Ecclesiæ, aut Augustino refragantur; modò ut, quidquid id est, quod per solas arbitrii vires sine gratiâ valemus, nullius ad vitam æternam valoris esse, pro certo habeatur. Cæterum omnino dicendum arbitramur, non posse hominem in statu præsentis diu omnia mandata Dei sine ope Divinæ gratiæ observare; ⁵ neque infidelem in peccato lethali constitutum cum ordinariis, & communibus gratiæ actualis auxiliis omnia peccata gravia evitare; nec justum denique sine gratiâ extraordinariâ ab omni peccato veniali quoad vixerit se abstinere; cuiusmodi gratiam B. Virgini obtigisse author est Augustinus. --

12. QUOD si tamen hominem omni supernâ gratiâ destitui contingeret, superesset adhuc illi libertas, & facultas physica observandi præcepta naturalia non modò singula; sed etiam omnia: Non enim ad singula tantum, sed ad omnia observanda obstringeretur. Libertas autem merè physica ad peccandum præcisè sufficit; nec alia hic foret peccandi necessitas, nisi moralis quædam & vaga. Quo fit, ut præcepta singula determinata, quæ violantur, potuerint observari potestate morali; cum non sit moralis necessitas violandi, nisi aliquod indeterminate. Verum omisso hoc Scholasticorum theoremate, nihil est, quod libertati metuas. Non committer enim Deus, ut

(1) de gr. & lib. arb. c. 17. (2) ibid. (3) Enchir. c. 32. (4) Non enim omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est, ut constat ex Bajanâ damnatâ. Vide etiam ejusdem 34. & 37. inam. (5) Vid. testimonia Script. & P. P. apud Bellarm. de gr. & lib. arb. l. 5. c. 5.

gratiâ supernâ ita quisquam destituatur, ut non præstet sit sufficiens præcepta observandi potestas, si non semper proxima, certe remota, urgente saltem præcepto; gratia, inquam, orandi, quâ si recte uteris, uberiora consequeris *χαιοῦντα*. Docet hoc pluribus locis S. Augustinus, ¹ atque ex ipso Tridentinum Sess. 6. c. 11. cum ait: *Non enim Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.*

CAPUT III.

Gratia sufficiens.

13. GRATIAM suffICIENTEM appellamus illam, cujus ope bonum salutare faciendi potestatem nanciscitur voluntas; ita, ut ejus auxilio salutem consequi posset si veller; etsi contingat sæpe gratiam ob voluntatis socordiam & malitiam non fortiri effectum. Dari hanc gratiam in statu naturæ lapsæ consentiens omnium T. T. opinio, & fidei dogma est; etsi in explicandis conditionibus ad potentiam proximam requisitis non omnes Scholæ conveniant. Existere autem sæpe hujusmodi gratiam, invictè contra Huls, Bajam, Luth. Calvinum, & Jansenium demonstratur i. ex SS. literis: ² *Vocavi, & remisisti, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despectistis omnes consilium meum.* ³ *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Igitur dedit, ut possent; expectavi ut faceret uvas, concedendo tempus, & otium bene agendi; & fecit labruscas, h. e. mala opera.* ⁴ *Vos semper Spiritui Sancto resistitis: Adhörtor vos, ut non recipiatis gratiam Dei in vacuum.* 2dò ex Concil. Arausicano, doctrinam hanc Canone 25to inter cætera fidei capitula referente: 3tio ex Augustino, qui cum aliàs sæpe, tum præcipuè l. 12. de Civ. c. 6. hoc dogma declarat. Si eadem tentatione duo tententur; & unus ei cedat; atque consentiat; alter, idem qui fuerat perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate desicere? Unde? Nisi propriâ voluntate: Ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio. Gratia hæc certè sufficiens erat, quia unus cum illâ consentit; Conjugibilis item cum dissensu, quia alter eandem habens dissensit. Comprobatur demum propriâ cujusque experientiâ; quâ novimus bonum, ad quod impellimur, nostrâ sæpe culpâ non fieri.

Quare mirum profectò est, Jansenium docere ausum fuisse interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti; mirum magis, Authorem animadversionum in Histo-

riam Theologicam Maffei, scriptorem, ut creditur, Catholicum, ausum fuisse scribere: ⁵ *Num gratiæ sufficiens dogma ad fidem pertinere decreverint Romani Pontifices, Concilia, aut Patres, hucusque incompertum sibi prorsus esse.* . . . *Quæstio summo honori fuisse, quod excluderet gratiam sufficientem; eoque nomine honorificè compellari. Profectò nec ego, nec ullus Catholicus hunc Quesnello honorem invidet. Gravissimum autem Anonymi hujus errorem uberiùs hic comonstrare necessarium non est, quando id satis, superque præstitit Cl. Maffeus in Confirmatione responsum l. 1. c. 6.*

14. GRATIA sufficiens talis esse potest vel proximè, & immediatè, vel remotè solum, & mediatè. Proximè sufficiens ad aliquem actum esse non potest, nisi adsint omnia ad eundem actum per se essentialiter requisita. Remotè sufficiens caret adhuc aliquo ad actum per se necessariò prærequiritò, proximam tamen illius acquirendi potestatem includit: Ac proinde, licet ad unum actum remotè tantum sufficiat, proximè tamen sufficit ad alium, quo mediante proxima ad priorem sufficientia obtineri potest. Noscitur hæc distinctio, ejusque explicatio Tridentino dicente: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere, quod possis; & petere, quod non possis; & adjuvat, ut possis.* Quare priorem non ineptè quis vocaverit gratiam sufficientem operis; posteriorem autem gratiam sufficientem orationis; quâ nimirum obtineri queat gratia proximè ad opus sufficiens.

15. INEFFICACIA sufficientis gratiæ non Deo auctori, sed soli humanæ voluntati est tribuenda: *Perdixit enim tua, Israël ex te; tantummodo in me auxilium tuum,* ⁷ ait Scriptura. S. Augustinus interrogatus, *cum voluntate humanâ, gratiâ adjuvante Divinâ sine peccato in hac vitâ homines esse possint, cur non sint?* Respondet aptissimè: ⁸ *Quia nolunt.* Rursus inquirens, *cur nolint*, causas assignat duas: *Ignorantiam, & infirmitatem.* Ne tamen quis suspiceretur, necessitate insuperabili ab his hominem pertrahi ad peccatum, mox subdit: *Ut autem innotescat, quod latebat; & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntatem, quâ, ut non adjuvantur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

16. NEQUE fieri potest, ut gratia ad actum aliquem proximè sufficiens, sit ad eundem ex suis intrinsicis essentialiter inefficax. Nam cum gratia proximè sufficiens ea sit, quæ vim agendi completam, & proximè expeditam confert, clarum videtur, fieri non posse, ut vel ex suis intrinsicis

(1) Aug. de nat. & gr. c. 43. in Pl. 40. n. 4. l. 3. op. imp. n. 115. (2) Prov. c. 1. (3) Iſai. c. 5. (4) Act. Apost. c. 7. (5) Apost. ad Rom. (6) Animadv. (7) Ol. 13. (8) l. 2. de pecc. mer. c. 17.

virtute ad agendum necessariâ careat, vel necessariô petat carere effectu, ad quem vires suppeditat necessarias. Quis enim huiusmodi gratiam sibi iudicat ad bene aliquid agendum necessariam, aut quis eam exoptet? Atqui gratia omnis ex suis intrinsicis essentialiter inefficax talis est; vel quia virtute ad agendum necessariâ caret, vel quia effectu carere essentialiter petit: Igitur, quæ proximè sufficiens esse ponitur, ad eundem actum ex suis intrinsicis essentialiter inefficax esse non potest. Res tota liquet in alimentis, & medicinâ, quæ certè sanus nemo dixerit proximè ad conservandam, vel instaurandam sanitatem necessariâ, si præter illa requiratur quid aliud ad hunc sibi præstandum effectum. --

17. CERTUM quoque est, nec Deum præcipere impossibilia; nec Christum pro solis prædestinatis esse mortuum. Ex quo fluit, iustis inprimis omnibus concedi auxilia gratiæ necessaria ad hoc, ut præcepta, quibus hic & nunc tenentur, implere possint. Deus enim, inquit Augustinus: ¹ *Cum ad perfectam vitam iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, iustèque vivatur.* Atque ex eo Tridentinum: ² *Deus suâ gratiâ semel iustificatos nunquam deserit; nisi ab eis prius deseratur.* Neque peccatores fideles, etiam obdurati, ac reprobi, ita destituuntur; quin tempore viæ, ac vitæ rationalis, etsi non singulis momentis; sed certis occasionibus, quædam illis subministrantur auxilia; quibus & præterita salutariter deestari peccata; & futura cavere vel proximè, vel remotè valeant; quâ in sententiâ etiam fuisse Augustinum Parte alterâ demonstrabimus. De Paganis, Judæis, hæreticis quale ferendum sit iudicium, docet Alexander VIII. damnans hanc propositionem: Paganis &c. *Nullum omnino accipiunt à J. C. influxum; adeoque hinc rectè inferas, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratiâ sufficiente.* Sed quid de illis barbaris, ac infidelibus, ad quos externa fidei prædicatio nunquam pervenit; quique in suâ infidelitate moriuntur? Aliquam his quoque fidei, & salutis adipiscendæ potestatem, saltem remotam, planè concedit S. Augustinus, ³ dum illa Psalmistæ verba: *Non est, qui se abscondat à calore ejus,* ita exponit: *Cum autem verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbrâ mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor.* Consentit S. Prosper, discipulus, & propugnator Augustini celeberrimus; negat quippe excusabiles esse nationes, quæ sine Deo in hoc mundo sub ig-

norantiâ tenebris perierunt; causamque hanc adfert: ⁴ *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ; quæ etsi parvioris, occultiorisque gratiæ fuit; sufficit tamen, sicut Dominus iudicavit quibusdam ad remedium; omnibus ad testimonium.* Eundem etiam in sensum accipient ceteri PP. illa verba Scripturæ: *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; solem suum oriri facit super bonos, & malos & similia.* --

18. QUÆ autem in re sita sit hæc infidelium gratia, & cuiusmodi sit, Theologi certant, & adhuc sub iudice lis est. Non dubitamus Christi eam meritis fuisse comparatam, cum teste Apostolo *non sit aliud nomen sub Cælo, in quo nos oporteat salvos fieri.* Quare & probabilis videretur, eam entitatem habere supernam, ut nempe finis, in quem conceditur, cum ipsâ servetur proportio; finis enim proximus est veræ fidei agnitio, ultimus vita æterna. Advertit tamen Cl. Maffejus, negari à SS. Augustino, & Prospero, gratiam hanc esse Christi Servatoris; non tamen quod propter merita ejus non detur; sed quod vocabulo de se communi, ac latius patente, uti & aliis in rebus non rarò evenit, ad unam speciem contracto eam propriè solùm, atque antonomastice Christi Salvatoris gratiam appellarent, quæ Christi mediatoris cognitionem, & fidem involvit. Atque id causæ est, cur Augustinus, licet verbi calore mortis umbram penetratam fuisse dixerit, ipsis nimirum infidelium mentibus gratiæ suæ generalissimæ radiis quibusdam illustratis; tamen aliis locis gratiam per fidem J. Christi eorum solummodò esse asserat, quorum est ipsa fides. Similiter S. Prosper fatetur existere aliquas in extremis mundi partibus nationes, quibus *nondum illuxit gratia Salvatoris*, utique specialis illa, de quâ diximus; & tamen iisdem nationibus concedit illam *mensuram generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper nationibus præbita est.* Quare universalis illa, ac juxta Prosperum *parvior, atque occultior* Christi gratia consistere dicenda est cum in supernis quibusdam mentis illustrationibus, quas S. Augustinus, ⁵ *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes* vocat; tum in piis voluntatis affectionibus, quibus vel ad generale quoddam veri Numinis, veræque religionis agnitionem, ac desiderium; vel ad peccatorum horrorem, virtutumque amorem incitantur. Denum juxta hanc sententiam rectè interpretari possumus, id, quod de homine inter barbaros nato, vel in silvis enutrito, & ductum rationis naturalis sequente, quodque in se est, faciente docet

(1) de nat. & gr. c. 26. (2) Sess. 6. cap. 11. (3) Exposit. 1. in Ps. 18. (4) lib. 2. de vocat. gent. c. 14. & seqq. (5) ibid. c. 17. (6) lib. 1. ad Simplic. qu. 2.

S. Thomas, certissimè scilicet tenendum esse, quod Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessariam, vel ad eum dirigeret prædicatorem: Nil enim vetat rationem hic intelligi, gratiâ quidem fidei adhuc destitutam, generali tamen illo, ac parciore, & occultiore auxilio corroboratam. Sufficiens enim ait S. Chrysost.² Magistrum habemus conscientiam; & fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis insita est scientia faciendorum, & non faciendorum. --

CAPUT IV.

Gratia efficax.

19. GRATIÆ efficacia nomine apud T. T. venit illa, quæ liberum humanæ voluntatis consensum infallibiliter obtinet; vel ut Augustinus eam definit: Quæ certissimè liberantur, quicumque liberantur. Dari hujusmodi gratiam certissimum est; & luculenter probant innumera scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum, ac præcipuè D. Augustini testimonia, quibus docemur, Deum habere humanorum cordium, quod placet inclinandum omnipotentissimam potestatem: Esse quandam gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur; quâ Deus operatur in nolitis velle, & operari; quâ facit, ut faciamus, & quæ sunt his similia. Quam autem certum est, hujusmodi gratiam existere; tam incertum pariter est, in quo demum ejus ponenda sit efficacia. Quâ de re nec D. Thomas, nec antiquiores scholastici, ut author est Cajetanus,³ ex instituto egerunt: Recentioribus eâ de re prolixius commentandi non tam occasionem præbuere, quam injecere necessitatem exorta postmodum Lutheri, Calvini, Jansenique hæreses. Sed quæ omnibus una placeat difficultatem dissolvendi via, frustra hætenus quæsitæ est. Hoc certum est, trauti advertit P. Daniel,⁴ in quovis systemate Catholico tuenda, atque explicanda esse. Nimirum supremum Dei moventis dominium; creaturæ consentientis perfectam libertatem; atque effectus secuturi infallibilitatem omnimodam.

20. SUNT certè hæc in re adeò sibi opposita scholarum systemata, ut ea simul vera esse, aut ullo inter se pacto conciliari possibile non sit. Manet tamen probante Romæ Thomistica non minus scholæ, quam nostræ laudabile studium; de primâ id quidem disertè pronunciavit Bened. XIII; de secundâ id pari declaravit autoritate Clemens XII.⁵ Mentem, inquit, eorumdem Prædecessorum nostrorum compertam habentes, nolumus aut per nostras, aut per ipsorum laudes Thomistica scholæ relatas, quas

iterato nostro judicio comprobamus, & confirmamus, quidquam esse detractum cerevis Catholicis scholis diversa ab eadem in explicandâ Divinæ gratiæ efficacîa sentientibus, quarum etiam erga hanc sanctam sedem præclara sunt merita, quod minus sententias eâ de re tueri pergant, quas hætenus palam & libere ubique, etiam in almæ Urbis luce docuerunt, & propugnaverunt. Quare & tantorum Doctorum inconcussa, tutissimâque dogmata sequi semper, ac impensè revereri. Alexandro etiam VII. ita præcipiente, æquissimum erit.⁶

21. Nunc ad rem ipsam veniamus; ac primùm de hæreticis, tum de scholis Catholicis à nobis dissentientibus, quid nobis videatur, aperiāmus. De Calvino itaque & Jansenio sic inprimis statuimus. Expli- cari quidem in eorum systemate facillimè supremum Dei dominium; atque effectus secuturi infallibilitatem; liberratem autem creatam, quæ vel maximè hic spectanda est, omnino convelli, subvertique: Unde meritò utrumque hoc dogma cum universâ Ecclesiâ rejicimus & execramur.

22. NEQUE satis hic nodus nobis extricari videtur in systemate prædeterminantium: Etsi id multum à Janseniano, & Calviniano omnem apertè libertatem destruente, dissidere jam pridem conatu laudabili ostenderint Alvarus, Senofius, Reginaldus, Serrius, aliique complures scholæ Thomisticae Doctores. Difficultatibus tamen non contemnendis obnoxium illud esse, æquiores etiam Thomistæ lubentes fatentur; quarum una brevi hoc continetur dilemmate. Velest possibile, ut unquam Petrus actum præceptum eliciat sine prædeterminatione: Vel non est? Si primum? Non necessariò ad agendum requiritur prædeterminatio; potestque Deus in alio medio gratiæ sufficientis, quæ hoc casu dabitur, videre efficaciam. Si secundum? Quo modo evinces Petro prædeterminatione destituto gratiam verè sufficientem concedi? Et talem quidem, in quâ unus studiosus proficere possit, licet ei alter per negligentiam desit? Ut vult S. Thom. 3. P. Q. 69. a. 8. ad 2. Præterea difficile intellectu est, quomodo jure reprehendere Deus possit hominem, qui quia prædeterminationem non habuit, amorem præceptum non posuit; nec ponere potuit, acquirendo prædeterminationem? Quomodo gratiam abjicere possit homo, eique dissentire si velit? Ut posse illum ait Tridentinum: Quomodo eam acquirere, vel excludere? Ut vult S. Th. 1. p. Q. 26. a. 3. ad 2. Neque eorum nobis probantur systemata, qui, ut gratiam à se ipsâ efficacem tueantur, vel ad Decre-

(1) in 2. dist. 28. qu. 10. art. 4. ad 4. & qu. 14. de Ver. a. 11. ad 1. (2) Hom. 54. in Gen. (3) in 1. p. qu. 22. a. 4. (4) in epist. ad R. P. Natal. Alexand. (5) In Brevi: Apostolica providentia officio 2. Octob. 1733. (6) Alex. VII. ad fac. Theol. Lovan. 7. Aug. 1660.

tum Dei per se ipsum immediate voluntatem creatam physice prædeterminans cum Thomistis, vel condeterminans cum Scotistis confugiunt; tamen enim isti qualitatem illam prædeterminantem voluntati ante actum secundum formalem impressam rejiciant, tanquam superflua, in eisdem tamen cum prioribus scopulos videntur impingere.

23. QUAS quidem difficultates evadere videntur ii, qui gratiæ efficaciam positam docent in multitudine auxiliorum, vel causarum contingentium intus, exteriusque excitantium, qua Deus toties, ac tamdiu subministret, dum invenitur aliquod, cui suum voluntas assensum præbeat. Verum cum istas declinant, in alias incurrunt. Cum enim recte ponant, quodlibet auxilium esse per se sufficiens, & simul indifferens; sed præterea non modo scientiam mediam sed et conditionalem Thomistarum in Decretis prædeterminantibus subjective absolutis, & objective conditionatis excludant, fateri coguntur, Deum ante suum Decretum prorsus videre non posse, siue hoc vel illud singulare auxilium effectum habiturum, vel non; quæ sequela repugnare videtur Dei providentiæ, quam PP. infallibilem ubique prædicant. --

24. UNDE nobis quidem expeditior nulla scopulos hinc inde minantes evadendi via occurrit, quam si gratiæ efficacitas statuatur in vocatione congruâ, hoc est datâ à Deo illo tempore, loco, & modo, quo per scientiam conditionalem mediam infallibiliter prævidet humanam voluntatem liberè ipsi consensuram; liberè inquam, quia absolute fieri potuit, ut eidem vocationi in iisdem circumstantiis datæ prævideretur dissensura. Quod sanè systema ad Augustini mentem accommodatissimum esse contendimus ex plurimis ejus locis, totiusque quàm hæc de materiâ tradit, doctrinæ ferie, & contextu. *Voluntates nostræ* inquit, *tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit, & IDEO, quidquid valent, certissime valent; & quod facturæ sunt ipsæ, omnino facturæ sunt, quia valituras, atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* Quia ergo prævidet certissime Deus, quid facturus sit homo, si hæc, vel illa detur gratia, cujus miseretur, eum sic vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat, Deus inquam, qui hoc modo vocavit, quomodo aptius erat iis, qui secuti sunt vocationem.¹ Cum ergo alius sic alius verò sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, aliumque non moveat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad fi-

dem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est.² Parent quippe homines, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Idem disertè confirmat qu. 2. ad Simplicianum, ubi exponens, quo pacto verum sit, Deo tribuenda esse justorum opera, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; non posse quenquam de bono opere gloriari, tanquam non accepto à Deo, ita loquitur: *At enim, quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatione bonam voluntatem: Propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod volumus: Nobis verò tribui non potest, quod vocamur: Non igitur idò dictum putandum est, non est volentis &c. quia sine ejus adiutorio non possumus adipisci, quod volumus; sed ideo potius, quia, nisi ejus vocatione, non volumus.* Videbat autem obijci posse, uti & ipse obijcit: Non omnes, qui vocantur, vocationi obtemperare; cum & illud verum sit: *Multi vocati, pauci electi:* Unde si propterea dictum est, non est volentis &c. quia ejus vocatione nostras prævenit voluntates, rectè etiam dici potest. Igitur non miserentis Dei, sed volentis, & currentis est hominis, quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. Verum hoc ita dissolvit, ut non ad gratiam physice prædeterminantem confugiat, sed ad vocationem congruam, quam quibusdam Deus misericorditer largitur; aliis occulto, sed iusto judicio negat. *Verum est ergo, inquit, multi vocati &c. illi enim electi, qui congruenter vocati: Illi autem, qui non congruebant, neque contempebantur vocationi, non electi; quia non secuti, quamvis vocati.* Item verum est: Non volentis &c. *Quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur; quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicat: Igitur non miserentis Dei; sed volentis, atque currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

25. SUNT, qui loci hujus adeò luculentim vim eludere conantur, dicendo: Scriptisse S. Augustinum libros ad Simplicianum initio sui Episcopatus, cum nondum Semipelagianorum sese erroribus satis expeditisset; vel certè quæstionem ibi propositam non definiendo, sed disputando solum, veritatemque inquirendo ab ipso fuisse tractatam. Sed utrique evasioni viam præclaudit ipse Augustinus, in triplici opere sub vitæ finem conscripto. Primum est operum omnium *Retractatio*, cujus lib. 2. cap. 1. testatur, in libris ad Simplicianum se agnovisse & initium fidei, & perseverantiam in bono dona Dei esse, atque interiore ejus

(1) Qu. 2. l. 1. ad Simpl. (2) ibid. (3) l. 1. ad Simpl. qu. 1. (4) l. 2. de don. persever.

gratiâ præveniri. Alterum est liber *de bono perseverantia*, in quo cap. 20. idem apertè profiteretur; & cap. 21. Nihil in illis libris remanuisse ait, propter quod vocetur in *dubium*, gratiam Dei non secundum meritâ nostra dari. Tertium est liber *de Prædestinatione Sanctorum*, ubi cap. 4. de Massiliensibus ait, quod, si curâssent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem Divinarum scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad Simplicianum scripsit; solvere autem quæstionem, nō fallor, non est disputando inquirere, sed definire.

26. Nec difficultatem tollit responsio illorum, qui loco Augustini admissō vocationis congruitatem à physica prædeterminatione reperendam contendunt. Nam hoc si verum est, cur bona opera justorum Augustinus constanter tribuit Deo ratione vocationis, quin unquam alterius gratiæ actualis prævenientis à vocatione distinctæ meminerit? Cur vocationem ab adiutorio tam sollicitè discriminat, ut dicat, non ideo dictum esse: *Non est volentis* &c. quia sine ejus adiutorio non possumus; sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus? Certè si huc spectat prædeterminatio, non ad vocationem pertinet, sed adiutorii nomine; quod generalius est, censeretur debet. Cur denique vocationis inefficiam, seu incongruitatem non ex defectu auxilii prædeterminantis, sed solum ex improbâ vocati voluntate repetit? Ut pluribus locis invictè contra Jansenianos demonstravit Cl. Maffæus in *Hist. Theol.* & nos supra, n. 15. cap. 3. ex l. 2. *de pecc. mer.* cui adjungi adhuc potest, quod in loco hic à nobis prolixius recitato docuit. *Noluit ergo*, inquit, *Esau*; & non cucurrit; sed & si voluisset; & cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset; qui etiam & velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione neglectâ reprobus fieret. Effer autem non hinc, sed inde repetenda, si efficiam, vel congruitatem vocationis sola facere posset prædeterminatio; cum in nullius potestate sit illâ adjuvari, si illam non habeat; sicut nec in ejus potestate est illâ non adjuvari, si habeat. Accedent huic nostræ opinioni momenta non pauca, Parte alterâ, ubi in mentem S. Augustini de gratiâ à se ipsâ efficaci inquiremus.

27. Si rogas, unde igitur gratia efficax suam habeat efficiam, à Deo, an ab homine, an ab utroque? Respondemus simpliciter, quod eam habeat à Deo; sed cum certo ordine ac respectu ad voluntatem creatam, ejusque cooperationem. Quod ut clarius intelligatur, ita declaratur. Gratiâ efficacem ab efficacia seu efficiâ dictam constat. Efficacia porro tria in se complectitur: 1. modum vim, seu virtutem aliquid agendi, vel efficiendi. Hanc vocamus effi-

ciam in actu primo. 2. modum actualem efficientiam; seu operis effectiōem: Hanc dicimus efficiam in actu secundo. 3. modum infallibilem cum opere, vel effectū ponendo connexionem. Prima & secunda gratiæ efficaci convenit, secundum quod pertinet ad ordinem infallibilis providentiæ, & intentionis Divinæ. Jam si de primâ efficiâ est sermo, evidens est, quod gratiæ conveniat formaliter ex intrinsecis suis prædicatis; causaliter à Deo, qui illam producit. Si de secundâ, inde illam habere debet, unde actio productiva salutaris consensûs habet suum esse. Hoc autem actio ista habet non à solo Deo; non à solâ gratiâ creatâ, sive actuali præveniente, sive habituali; non à solâ voluntate; sed ab his omnibus simul, quia est una indivisibilis actio omnium; licet solam voluntatem humanam denominet immediatè liberè agentem; sicut & vitaliter & meritorie operantem. Itaque ex tribus istis consurgit efficiam gratiæ in actu secundo. Si de terciâ demum sermo est; illam habet ab actuali consensûs productione, ut conditionatè futurâ, non à solâ voluntate; sed ab omnibus principiis modò relatis, & conditionatè prævisâ per scientiam mediam; per quam etiam completur in ratione medii proximè apti ad consensum creaturæ infallibiliter consequendum.

28. JACTIS hisce principiis negotii nihil est in expediendis cæteris quæstionibus. Si enim rogas: Cur Petrus consentit, cur dissentit Judas? R. Ex parte intentionis Divinæ causa hæc datur, quia Petrum sic vocat Deus, *quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*; Judam non ita. Ex parte executionis creatæ, alia non est, quàm quia unus vult, alter non vult. Nam consentire vel dissentire propriæ voluntatis est, ait Augustinus; & alibi, de duobus eadem tentatione pulsatis, quorum unus ei cedit, alter perseverat: Quid aliud apparet, quàm unum voluisse, & alterum noluisse? Si rogas iterum: An fieri possit, ut cum æqualibus gratiæ prævenientis auxiliis unus consentiat, alter dissentiat? R. posse cum æqualibus ex parte executionis sive in ratione auxilii sufficientis; non verò cum æqualibus ex parte intentionis Divinæ sive in ratione beneficii, & favoris. Etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo apertum est eis, ut sequantur. Si tertio: An possibile sit, ut aliqua creatura ratione prædita, humana, vel Angelica prævideatur omnibus gratiæ auxiliis libertatem relinquentibus consensura, vel omnibus dissensura? R. non esse; idque vel eò, quod voluntati creatæ metaphysicè repugnet tanta in agendo vel constantia, vel pertinacia, ut ex infinitis auxiliis, quæ

in infinitum variari possunt; nullum sit, cui consensum præbeat; vel ex infinitis similiter tentationibus nulla sit, cui succumbat: Esset enim constantia, vel pertinacia simpliciter infinita. Quæ etiam opinio conformior videtur Augustino, dicenti, habere Deum humanorum cordium, quod placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. . . . & magis habere in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas. Sic enim velle vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.

29. FLUUNT ex dictis varia cons. etaria. Primum est: In hoc nostro systemate. Optime consuli primum libertati creatæ; ut fatentur adversarii: Deinde Dominio Dei, quippe cui liberum uti vel non uti suâ scientiâ conditionali, dare vel non dare gratiam quam vel efficacem prævidit, vel inefficacem. Demum mediorum ad finem obtinendum infallibilitati, seu prædestinationis certitudini. Si enim ponis dare Deum gratiam, quam efficacem fore prævidit, non potest non sequi effectus. Alterum est; non satis rem expendisse Gonetum, cum systema hoc Semipelagianorum erroribus viam sternere contendit *disput. 6. hic a. 6. §. 1. & 2.* Duo enim fuere, ut constet Semipelagianorum errores; primus, quod dentur in nobis iniuria quædam fidei salutis, & bonæ voluntatis, quæ non sunt à gratiâ sed à naturâ, seu arbitrio viribus naturæ operante. Secundus, quod prædestinatio ad gratiam saltem primam, fiat immediatè ex præscientiâ boni usus naturalis liberi arbitrii; ex quo manat, prædestinationem ad gloriam mediatè saltem ex eadem præscientiâ præcedere; adeoque primum totius salutis initium esse in nobis sine ope gratiæ. His addi potest tertius ad abusum scientiæ mediæ potissimum pertinens: Nimirum quod parvulorum ante rationis usum decedentium alii ob bona opera, si vivere perrexissent, ob ipsos ponenda prævisa baptismum consequantur, & salutem; alii contrà ob mala opera similiter sub conditione prævisâ sine baptismo decedant, arque æternum pereant. Cum nullo autem horum errorum commune quidquam habet hoc nostrum systema: Non cum primo; quia scientia media nullum opus salutare repræsentat futurum independentè à gratiâ: Non cum secundo: Non enim ideo necessariò confert Deus gratiam, quia eam videt fore efficacem; sicut nec ideo prædestinat, aut prædeterminat; quia hanc motionem prævidet habituram effectum; sed misereatur, quorum suâ motus clementiâ vult misere-

veri. Non quia futuri eramus, inquit Augustinus¹ elegit nos, sed ut essemus; non denique cum tertio: Causam enim non in merito futura creaturæ, sed in sanctissimam simul Dei voluntatem conjicimus; cujus iudicia ut ait Augustinus, *inscrutabilia quidem nobis sunt; sed iusta tamen.* --

30. TERTIUM contestarium est; systema hoc non modò non Semipelagianissimum sapere, ut modò ostensum est; neque tantum Augustini consonare principiis, ut à num. 23. ad 28. demonstravimus, sed & cum nullo S. Thomæ dictamine quod quidem certò ipsius sit, pugnare; id quod breviter jam declarabimus. Certa D. Thomæ principia quoad rem præsentem sunt hæc: 1. *Quod causa secunda libera determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsâ voluntate.*² 2dum: Deus non vult fieri nostra peccata, nec ab ipso determinamur ad peccandum.³ 3tium: *Aliqua contingentia sunt à Deo præscita, quæ non sunt ab ipso prædestinata.*⁴ 4tum: *Est in potestate liberi arbitrii, impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire.*⁵ Cum quibus omnibus aptissimè hæc nostra coheret doctrina. Quam mirificè porro eadem concinat cum Tridentino Concilio, peculiari dissertatione abunde demonstrarunt Petavius, Daniel, & Livinus de Mayr; ad quos lectorem curiosum remittimus. --

31. QUÆ si vera sunt, uti verissimè contendimus, nemo non videt, immeritò à Facult. Lovan. & Duacensi perstrictam fuisse hanc Lessii propositionem: *Fieri potest, & de facto sæpe fit, ut quis auxilium habeat præveniens, & omnino sufficiens in genere auxilii prævenientis ad conversionem; & tamen non convertatur, quia non vult.* Mirum profectò censuram hanc in impressis etiam aded à nonnullis extolli, quando ipsius veritatem post Sixti V. & tot Pontificum ei succedentium, declarationes, ac ipsius etiam Tridentini decreta propugnare vel invitus propugnare debet, quisquis audire cupit Catholicus. --

CAPUT V.

Gratia habitualis sanctificans; & gratiâ in eadem perseverandi.

32. DATUR donum aliquod gratiæ Divinitus infusum, ac permanentèr inhærens,⁶ quod est nostræ justificationis unica causa formalis, & cum peccato metaphysicè impossibile. Hoc donum gratia habitualis sanctificans vocatur. Est autem hæc gratia physicè spectata, ex probabiliiori T. T. sententiâ, & Patrum locu-

(1) De Præd. SS. c. 14. (2) in 2. dist. 39. qu. 1. a. 1. & 2. item dist. 25. qu. 1. a. 1-3. (3) ita ferè 1. 2. qu. 19. a. 1-3. & alibi sæpe. (4) qu. 12. de Ver. a. 12. (5) Con. Jen. l. 3. c. 159. (6) Trident. Sess. 6. can. 11.

tionibus magis conformi¹ vera qualitas, & habitus. Unde qui diceret, gratiam hanc non esse qualitatem, repugnaret quidem sententiæ Scholasticorum sub tempora Concilii Viennensis communiore: Hæresis tamen damnandus non esset; modò assereret, illam esse donum animæ inherens, & permanens, quod tamen non perinde accipiendum est, ac si semel recepta, amitti denovo per peccatum non posset, ut vult Calvinus. Hunc enim errorem anathemate ferit Tridentinum² Sessione relata, ubi ait: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse; neque gratiam amittere . . . anathema sit.*

33. GRATIA hæc, uti ab homine animi ritè expiante recuperari, irà & augeri incipere potest per actus virtutis, & maximè charitatis ab homine iusto elicitos. Primum statuitur à Tridentino l. c. Canone 28. *Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: Aut posse quidem sed solâ fide amissam iustitiam recuperare sine Sacramento penitentiae, prout Sancta, Romana & Universalis Ecclesia à Christo Domino, & ejus Apostoli edocta hucusque professi est, servavit & docuit, anathema sit.* Alterum definitur ibidem Canone 24. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera . . . anathema sit.* Hæc porro etiam recuperari, & augeri possit, minui tamen nunquam per peccatum in intentione potest: Per lethalem enim noxam omninò tollitur: Cum veniali autem nihil imminuta, consistit. *Universa enim mortalia peccata* (ut loquitur Tridentinum Sessione 14. de Confessione Capite 5.) . . . *Homines iræ filios & Dei inimicos reddunt: Per venalia autem à gratiâ Dei non excludimur.* Reddit insuper hominem iustum, & sanctum formaliter, & intrinsicè: Non verò per iustitiam Dei ut vocant essentialem, neque per solam peccatorum condonationem aut iustitiam Christi nobis extrinsecam, singularique beneficio tantum imputatam, ut cum aliis hæreticis fabulabatur Calvinus. Hujusmodi enim opiniones à Tridentino rejectæ sunt tanquam spuræ, & à sanâ Ecclesiæ Doctrinâ alienæ. *Si quis dixerit, inquit Canone 11. Sessione 6. homines justificari, vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, quâ justificamur esse tantum favorem Dei* (intellige merè extrinsecum) *anathema sit.* Idem adhuc clarioribus inculcat verbis eadem Sessione Capite 7. *Unica formalis causa* (iustificationis) *est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit;*

(1) Testis Concilio Viennensi. (2) Sess. 6. Can. 23.

quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis respicientes secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.

34. CUM gratiâ sanctificante infundi semper homini omnes virtutes supernaturales, dona Spiritûs Sancti, imò & virtutes Theologicas, si (quod in Catechumeno ad baptismum accedente contingit) in peccatore, qui gratiâ donatur non fuerint: Tridentinum l. c. apertè docet, cum ait: *Hanc dispositionem . . . justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum . . . Unde in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem &c.* Quemadmodum autem prædicta Spiritûs Sancti dona, & virtutes homini cum gratiâ sanctificante omnes obveniunt, ita pariter, simul atque hæc gratia deperdita fuerit, etiam ipsa amittuntur, solo in animâ remanente habitu fidei & spei Theologicæ: Quod si tamen peccatum admiserit homo, duplici huic virtuti è diametro oppositum, utriusque pariter virtutis jacturam facit. Stabilitum hoc dogma fuit à Tridentinâ Synodo contra Lutherum & Calvinum, asserentes, admissio peccato gravi hominem & gratiæ & omnibus, quæ eam comitantur, virtutibus Theologicis excidere. Verba Concilii sunt Sessione 6. Capite 15. *Adversus hominum quorundam callida ingenia . . . asserendum est non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio peccato mortali, quavis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Et ibidem Canone 28: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem amitti . . . anathema sit.* Quod autem de fide diserte Concilium asserit, id pariter de spe, cum contra eam peccatur, Theologi omnes ob rationis Analogiam intelligunt ut videre est apud Suarezium, Vasq. Belarminum, Simonetium aliòsque passim Scholasticos, & Polemicos.

35. DEMUM gratia sanctificans præter effecta jam enarrata non tantum opera, quæ supra naturæ vires posita sunt, faciliora reddit homini, sed & simpliciter possibilia, ut in Tractatu de fide ostendi solet, & Tridentinum statuit Sessione 6. Canone 2. Nos pariter Divinæ, ut Apostolus loquitur, efficit consortes naturæ, & ex Christi Redemptoris nostri meritis æternæ gloriæ consequendæ jus tribuit, modò, ut Triden-

tinum *Sessio citat à Capite 16.* advertit, de-
cedamus in gratia. Quod quidem postre-
mum Dei in hac mortali Vita conferendum
beneficium, an sub hominis cadat meritum,
mox aperiemus.

36. DONUM hoc singulare prorsus est,
conceditque illud Deus aliis pro sua mise-
ricordia; negat aliis pro inscrutabilium ju-
dicatorum suorum abyssu; uti certum est
contra Semipelagianos ex Augustino &
Conciliis. Definitur à S. Augustino: *Mor-
tis cum statu gratiae conjunctio.* Penes solum
autem Deum est vel evocare hominem ex
hac vita eò tempore, quo pius & iustus est,
ne, si diutius vixerit malitia mutet intelec-
tum ejus, ut loquitur sapiens; vel ei quem
nunc evocare poterat innocentem, vitae
tantisper prorogare usuram, dum suamet
libertate, ac vitio futurus est impius. De
hoc singulari munere uberius disputat con-
tra Semipelagianos Augustinus libro de
corrupt. & grat. ² Atque ita demum con-
cludit: *Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei
esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex
bono mutetur in malum, cur autem aliis detur,
aliis non detur, ignorant: Ita donum Dei esse
in bono perseverantiam, fateantur nobiscum;
& cur aliis detur & aliis non detur, sine mur-
mure adversus Deum dignentur ignorare no-
biscum.* Adeo autem singulare est perse-
verantiae & gratiae efficacia donum, ut nul-
lis bonis operibus possimus illud prome-
reri, merito intellige condigno. Saepe ta-
men Deus obsecrationibus nostris exora-
tus largitur illud sponte, & liberaliter. Qua-
propter assiduis illud atque ardentibus à
Deo precibus expetendum est; quippe ex
quo torius pender aeternitatis felicitas. Pla-
ra hanc in sententiam disputat Cl. Maffeus
bist. Theol. l. XII. n. IV. 6, 7.

CAPUT VI.

Justificatio & meritum hominis.

37. Justificationem impii de qua Tri-
dentinum *Sessio 6. à Capite 1. ad
10. usque* agit hunc in modum definit
hic Capite 4. *Translatio ab eo statu, in quo
homo nascitur filius primi Ade in statum gra-
tiae & adoptionis filiorum Dei per Jesum
Christum Salvatorem nostrum.* Quae quidem verba, etsi solam illam justi-
ficationem tangant, quae quis à primigeniâ
labe per baptismi (ulceptionem purgatus
gratiae compos redditur, ad eam tamen
quae Confessionis ope fit, facile accommo-
dari possunt. Loquitur autem de hac ipsâ
Tridentinum *Sessio 6. Capite 4. & Canone
29.* ubi ait: *Qui vero ab acceptâ justificatio-
nis gratiâ per peccatum exciderunt rursus jus-
tificari poterunt, cum excitante Deo per pa-*

*nitentiae Sacramentum merito Christi amissam
gratiam recuperare procuraverint.*

NECESSITATEM Justificationis eadem
sacrofancta Synodus ex naturâ nostrae li-
berique arbitrii imbecillitate potissimum
repetit, quam adeo per peccatum primi
hominis fractam, atque debilitatam asserit,
ut transfusa hac per propaginem in poste-
ros labe omnibus sub diaboli potestate (ut hic
capite 1. dicitur) constitutis, non modo gen-
tes per vim naturae, sed ne Judaei quidem per
ipsam etiam literam Legis Moysi inde liberari
& surgere possent: *Tametsi in eis liberum ar-
bitrium minime extinctum esset, viribus licet
attenuatum, & inclinatum.* Coroll. Pole-
micum. Duas hoc loco haereses jugulat Tri-
dentina Synodus. Prima est Quesnelli, qui
propositionibus 6. 7. & aliis affirmare ve-
ritus non est, Judaeos ceterosque in ve-
teri foedere homines in absolutâ à Deo re-
lictos fuisse impotentiam implendi legem,
quam observare non modo per naturam vi-
res, sed ne simpliciter quidem illis erat pos-
sibile. Ut ut Deus ab homine in hac im-
potentiâ relicto fugam peccati exigeret. Altera
est Lutheri & Calvini, qui liberum arbi-
trium non modo attenuatum viribus, aut
inclinatum sed extinctum omnino per pec-
catum asseriebant, quò largior nempe scele-
ratis via fieret ad flagitia; omni non in pra-
vum, ut debebant, libertatis usum, sed in
gratiae necessitantis defectum culpâ perpe-
ram conjectâ.

38. JUSTIFICATIONIS hujus vim ad
omnes omnino homines quoad sufficien-
tiam, ut loquuntur Theologi, pertingere,
inconcussam in Scholis dogma est: Etsi
quoad effectum ad eos solos propagari
contingat, qui, ut l. c. c. 3. Tridentinum in-
sinuat, *mortis ejus beneficium* (modo quo-
dam peculiari) recipiunt, . . . & quibus
meritum passionis ejus communicatur. Quo
sensu & illud accipi à T. T. solet, quod in
formulâ Consecrationis habetur: *Hic est
calix . . . qui pro multis effundetur.* Hoc
est; pro omnibus quidem si spectes suffi-
cientiam; pro multis etiam si spectes ip-
sam efficientiam.

39. MODUM & ordinem quo quis ad
Dei amicitiam per receptam in animâ jus-
ticiam seu quod idem est, sanctificantem
gratiam admittitur, nobis Concilium l. c.
describit. Ac prior quidem, qui in homine
per baptismum lustrato observatur, post
Evangelium promulgatum sine lavacro rege-
nerationis aut ejus voto fieri non potest, sicut
scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex
aqua &c.* Sess. 6. C. 4. Alter qui in homine
per confessionem culpas, ut vocant, per-
sonales expiante intercurrit, ab eadem S.

(1) Aug. l. de bon. persever. C. 6. (2) C. 2.

Synodo nobis traditur Capite sequente, cuius hoc est initium: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiâ ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiâ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur; ita ut tangente cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam abjicere poteſt: Neque tamen ſine gratiâ Dei ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſua voluntate movere poſſit &c.* Quem locum ed lubentiùs integrum huc tranſcripſimus, quò clariùs advertebamus innumera illum continere dogmata, quæ inde cum ad antiquas cum recentiores retundendas hæreſes ceu corollaria derivari poſſent, præcipua eo, quo in mentem veniunt ordine hic ſubjicimus.

CONFICITUR itaque ex incomparabili hoc loco 1. contra Pelagium & Semipelagianos: Initium ſalutis non eſſe à nobis ſed à Deo, præveniente gratiâ per Chriſtum Jeſum.

2. PECCATORI dari gratiâ citra meritum ſuum, ſaltem de condigno. Nullis enim peccatores ante primam quidem gratiâ ne quidem de congruo, & poſt primam nullis de condigno exiſtentibus meritis vocantur.

3. AD juſtificationem opus eſſe replici gratiâ: Una quidem quæ intellectum & voluntatem excitet; altera verò quæ adjuvet operantem. Idque contra eundem Pelagium & Cœleſtium.

4. HOMINEM non cogi ut Manichæi fabulabantur, neque ullâ rapi neceſſitate, ut Calvinus; aut inſuperabili delectatione, ut Janſenii Schola ſomniat, ſed liberè aſſentiendo & cooperando hoc eſt ſuam ipſe voluntatem determinando, gratiæque excitanti morem gerendo ad ſuam ipſius juſtificationem diſponi.

5. HOMINI non foris tantum advenire gratiâ, per legem, concionem, exemplum &c. uti contendebat Pelagius, ſed intrinſecè, ita ut non ſolum intellectum, ſed & cor ſive voluntatem tangente Deo per Spiritûs Sancti illuminationem inſpirationem illam accipiat homo. Quam Doctrinam iterum inculcat SS. Synodus infra eadem ſeſſ. Can. 11.

6. JUSTIFICATIONEM non ſoli gratiæ tribui, uti certè tribuenda videri poſſet, ſi gratia illa, de qua agit hoc loco Concilium, aut eſſet intrinſecè aut à ſe ipſa efficax, id quod probabiliter etiam plures ſentiunt Ca-

tholici, aut quod poſt Calvinum volebat Janſenius ex vi ſua eſſet hominem ad opus neceſſitans. Sed effectum ita inter gratiâ & hominem dividit, ut nec nihil agat homo, nec nihil gratia ſed ambo ſuo fungantur munere; gratiâ quidem vires, & motionem, homine verò aſſentum etiam in ſenſu composito gratiæ liberè præſtante.

7. GRATIAM debere eſſe ejusmodi ut etiam illam recipiens abjicere poſſit homo, eique ut hic Can. 4. ait Concilium, *diſſentire poſſit, ſi velit.* Quam certè Doctrinam quomodo ſuo in ſyſtemate ſalvare poſſit Janſenius, nobis inextricabile apparet myſterium, neque ipſum juvare poteſt ſenſus diviſus, ad quem hic fruſtra tanquam ad extremam in re deſperatâ anchoram confugit. Cum enim de *diſſenſu*, de *abjectione*, de *reſiſtentiâ* & ſimilibus, Sermo eſt, certe loquimur de ſenſu composito, nemo enim diſſentit propriè homini, cujus mentem ignorat, nemo abjicit onus, quod non habet, nemo reſiſtit hoſti quem non videt, aut quocum pedem nunquam contulit. Niſi forte Janſenius novam vocibus notionem indere velit, ſimulque rueri, me toti quem olim ad urbem Hannibal admovit, exercitui reſiſtere potuiſſe in ſenſu ſcilicet diviſo: Sed hoc nugari eſt ut rectè ait *Livin. de Mayer biſt. de auxil.* & ridiculum verborum ſuorum nomenclatorem agere.

8. HOMINEM ſe ſine gratiâ movere, hoc eſt voluntatem ſine gratiâ ad bonum inflectere, & determinare non poſſe, quod jam tum ex Arauſic. Milevit. & Cartaginenſi erat manifeſtum.

40. DISPOSITIONES ad juſtificationem ex Concilii Tridentini variis locis recenſemus ſex, idque contra Lutherum, & Calvinum, qui ajunt, *ſolam fidem requiri.* & per illam nos juſtificari, perperamque de ſolâ fide explicant Apoſtolum, ubi docet: *Nos juſtificari ex fide, & non ex operibus* Legis Moſaicæ. Vide Comment. Tirini in hunc locum & Trident. Prima igitur diſpoſitio eſt *fides*: *Sine quâ impoſſibile eſt placere Deo*, ut docet Apoſtolum. Non autem eo ſenſu accipi fides debet, quo paſſim à noſtræ ætatis hæreticis uſurpatur, pro certâ neipſe, & inſallibili fiducia, quâ homo credit peccata ſua ſibi eſſe condonata, ſequè juſtum eſſe: Nam præterquam quod alia omnino voci huic in Scholis Orthodoxis ſubjecta ſit ex fide notio & poteſtas, Concilium Tridentinum C. 9. & Can. 14. definit. *ſicut nemo pius ex Dei miſericordiâ, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet; ſic quemlibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratiâ formidare & timere poſſe: Cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubſeſſe falſum, ſe gra-*

tiam Dei esse consecutum. Fides igitur quæ Prima ad justificationem est dispositio, non est, ut eam hic vocat Concilium, *vana hæc & ab omni pietate remota fiducia*; sed fides Theologica, qua homo assentitur omni verò à Deo revelato; maximèque iis rebus quæ ad justificationem pertinent ut docet Concilium C. 6.

Secunda est timor justitiæ divinæ peccatorum vindicis. Statutum enim est in eodem Concilio Sess. 14. Cap. 4. hunc timorem donum esse Dei & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum morientis, quo penitens aditus viam sibi ad justitiam parat; idque contra novatores eosdem dicentes hunc timorem esse peccatum, & homines magis peccatores aut hypocritas reddere ut testatur Concilium eadem Sess. Can. 5. Reliquas hujus timoris dotes quas ibidem enarrant P. P. Tridentini, recensere hic superfedemus, cum de eâ in Tractatu de penitentiâ ex instituto agi uberius soleat. --

Tertia est spes veniæ consequendæ per merita Christi.

Quarta est dilectio Dei tanquam fontis omnis justitiæ: Non verò charitatis initialis ex motivo amoris conceptæ, quam cum P. Lupo aliisque paucis Belgis adhuc Germani quidam docent necessariò requiri.

Quinta est odium & detestatio peccatorum, & conceptus de ipsis supernaturalis dolor saltem ex *gebenne & penarum metu omnem voluntatem peccandi excludente conceptus*, qui certè cum Sacramento post Tridentinum omnibus Orthodoxis certò videtur sufficere: Et si relati paulò antè homines hac in re à communi opinione videantur recedere; & nescio quid peculiare sentire.

Sexta demum est propositum vitæ novæ institundæ; observandi item omnia mandata Dei & suscipiendi cum opus fuerit, baptismi, & penitentiæ Sacramenta.

Scholium. Circa recensitas jam ex Concilio dispositiones notari volumus 1. eas non requiri in parvulis, sed in solis adultis: Parvuli enim utpote rationis experies nullius dispositionis actualis capaces sunt. 2. Dispositiones has seu bonos motus liberi arbitrii necessariò pendere ab auxilio prævenientis & adjuvantis gratiæ, ut supra innuimus. 3. Contritionem perfectam, seu quæ concipitur ex dilectione Dei supra omnia sufficere ad justificationem, quia implicite & virtute omnes alias dispositiones complectitur; atque etiam extra Sacramentum live Baptismi live penitentiæ sufficere, ex voto tamen illius suscipiendi uti hic ex tractatu de Sacramentis in genere & de penitentiâ supponimus, ubi proprius votum hoc explicandi locus est.

41. CAUSAS Justificationis ex eodem Concilio Sess. 6. Cap. 7. adferimus sequentes. Finalis est gloria Dei & Christi, ac vita æterna: Efficiens principalis est Deus: Principalis meritoria est Christus: Instrumentalis Sacramenta baptismi & penitentiæ sine quibus nulli unquam contigit justificatio in L. N. Dispositoria sunt actus ex gratiâ ab homine ad justificationem aspirante elicit. Demum causa formalis est infusio gratiæ seu justitiæ non quâ Deus justus est in se sed quâ nos justos facit. . . ita ut non modò reputemur, sed & verè justî nominemur & finis.

42. MERITUM bifariam dividitur, in meritum de condigno, quod propriè meritum est, & de congruo, quod quadam etiam analogia meritum nuncupatur. Meritum de condigno est opus bonum, seu actus bonus, & supernaturalis à justo, viatore liberè elicitus, cui merces à Deo promissa ex justitiâ debetur. Condignitatem in actu primo habet à gratia, vim proximè causativam præmii non ante acceptationem Dei ipsam ordinantis ad præmium. Meritum de congruo est actus bonus & supernaturalis ab homine viatore liberè elicitus, cui ex decentiâ quâdam & gratuità Dei libertate debetur merces.

43. CONDITIONES porro ad meritum de condigno 5. requiruntur. 1. Ut opus meritorium sit actus bonus & honestus: Bonus inquam tam ex parte objecti, & adjunctorum, quàm ex parte finis, ita ut in Deum tanquam auctorem gratiæ & gloriæ referatur actu, vel virtute; ac proinde sit supernaturalis, & ex gratiâ actuali procedens. 2. Ut is, qui meretur, gratiâ sanctificante instructus sit. Ex quo conficitur, peccatorum opera non esse meritoria de condigno, licet esse possint de congruo. Halucinantur itaque hæretici persuadentes sibi, omnia peccatorum opera esse peccata, atque ideo jure condemnati sunt à Tridentino Sess. 6. Can. 7. 3. Ut qui sibi meretur, sit viator, id est vitam adhuc mortalem, agat. Addidimus particulam *sibi*, ne necesse sit hoc loco discutere, an quod quidam piè credunt, animæ in peculiaribus flammis cruciari saltem aliis qui pro eorum liberatione Deum orant, quid mereri possint. Conficitur porro ex requisito *viatoris*, nec Sanctos in cælo per amorem mereri, nec damnatos per blasphemias quas in Deum eructant, voces demereri posse: Item Christum dominum licet beatum & visione fruente beatificâ, meruisse tamen & sibi & nobis. Viator enim erat secundum partem inferiorem animæ, licet comprehensor esset secundum superiorem, ut ex Tractatu de incarnatione Christi, hic certum ponimus. 4. Ut opus meritorium sit liberum, non solum à coactione sed etiam necessitate,

id quod ex PP. & Conciliis manifestum est. *Quinta.* Denique ut intercedat pactio quædam, & promissio ex parte Dei de mercede pro ejusmodi opere bono largienda: Dei enim, ut ait Tridentinum sess. 6. c. 16. *Tanta est erga homines bonitas, ut eorum vellet esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

44. *CONDITIONES* autem ad meritum de congruo requisitæ ad tres sequentes ferè revocantur: Nimirum ut adsit status vitæ præsentis in operante. Libertas in voluntate & bonitas in opere. Gratia enim habitualis & pactio illa Divina, de quâ ante, hic non necessariò desideratur. Cæterum sub meritum condignum cadere non potest prima gratia, nec finalis ut vocant perseverantia, id quod jam ante innuimus.

CAPUT VII.

Prædestinatio, & Reprobatio.

45. *INTER* prædestinationem, & gratiam hoc interesse ait Augustinus; ¹ quod *prædestinatio sit gratiæ preparatio: Gratia verò ipsa donatio; seu ipsius prædestinationis effectus.* Definitur autem prædestinatio (loquendo de statu naturæ lapsæ) ab Augustino: ² *Præscientia, & preparatio beneficiorum, quibus certissimè libervantur, quicumque libervantur.* Cui consonat illa V. Bellarmini: ³ *Dei providentia, quâ certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti per media infallibilia in vitam æternam diriguntur.* Ex quâ colligitur, duo ad prædestinationem requiri in Deo: Actum intellectûs, quo modum per media infallibilia ad vitam æternam dirigendi cognoscat; & actum voluntatis, quo hæc etiam media præ aliis misericorditer eligat. Cur autem in uno talia potius media eligat, quàm alia, ad inscrutabilia ejus judicia referendum semper ait Augustinus; quorum causam etsi non cognoscamus modò, cognituros tamen nos post hanc vitam idem asseverat.

POSSIBLEM esse prædestinationem absolutam & efficacem creaturæ rationalis ad gloriam ut coronam, quin subjectivè pendeat à præscientiâ absolutâ meritorum, plures ex nostris probabiliter defendunt ex eo; quod suppositâ scientiâ simplicis intelligentiæ, & scientiâ conditionali mediâ de consensu salutari v. g. Michaelis futuro, non videatur ratio, cur Deus non possit ita decernere: *Volo dare Michaeli auxilium A, cui consensurum prævideo, ac post, & propter merita gloriam.* Hic enim actus foret inprimis prædestinatio. Quia foret volitio absoluta dandi gloriam per media infallibilia. Foret efficax, quia si sic Deus decernat non potest non fieri, ut detur gloria. Esset demum in eodem signo, utpote actus indi-

visibilis. Ordinem enim & successionem rerum quæ est in executione, hanc etiam subjectivam, & in intentione Divinâ esse debere, nulla demonstrat ratio. Quod etiam in præsentis rerum ordine prædestinatio ad gloriam ut coronam re ipsâ facta sit ante absolutam meritorum præscientiam, sententia est inter SS. Patres, & Scholasticos communissima; uti ostendit Cl. Mass. hist. Theol. lib. X. à n. 11. Contraria tamen opinio erroris damnanda non est; habet enim momenta etiam non contemnenda pro se, quæ eodem loco exhibet, laudatus Mass. fejus; neque satis expeditum est utri sententiæ adhaerit Augustinus. Cæterum prædestinatio in nostro systemate sequitur scientiam conditionalem mediam, non ut causam vel rationem *cur sit*; sed ut conditionem *si non est*, nec esse potest. Unde non magis sequitur, quod aliqui ad gloriam prædestinentur propter merita conditionata; quàm quod prædestinentur propter merita possibilia. Præcedit tamen ordine intentionis scientiam meritorum absolutam; à quâ simul objectivè, & in exequendo ita pender, ut in ratione decreti executivi per eam formaliter compleatur.

46. *REPROBATIO* est voluntas quorundam peccata permittendi, & post, ac propter peccata æternum puniendi. Præcedit quidem secundum ordinem intentionis scientiam absolutam peccati tum originalis, tum actualis; ita tamen, ut ab unius vel utriusque prævisione absolutâ in actuali pœnæ executione pendeat. Supponit quoque scientiam conditionalem peccatorum actualium, propter quæ damnantur adulti. Ejus tendentia nostro concipiendi, ac loquendi modo sic explicari potest: *Volo dare Lucifero v. g. auxilium A, sub quo ipsum peccaturum prævideo, & post ac propter peccatum re ipsâ commissum æternum punire; daturus tamen idem auxilium, etiam si prævidissem Luciferum sub ipso non peccaturum.* Quod postremum ideo maxime advertendum est ut intelligatur, Deum non studio seligere gratias inefficaces, ut peccent, & damnentur homines, quemadmodum blasphematur Calvinus. Non enim Decreti reprobantis causa finalis est peccatum & damnatio hominis; sed ostensio perfectionis Divinæ tam in reprobis per justitiam, quàm in electis per misericordiam.

47. *SYSTEMA* autem prædestinationis, ac reprobationis sic explicatum optimè componitur cum antecedente potentia amittendæ beatitudinis in prædestinato, & obtinendæ in reprobo. Si enim reprobis consensisset gratiæ sibi concessæ, uti poterat, & prædestinatus gratiæ ultimæ dissensisset, uti itidem poterat, amisisset hic bea-

(1) l. 1. de præd. SS. c. 10. (2) de bon. perf. c. 4. (3) l. 2. de grat. & lib. arb. c. 9.

titudinem, alter acquisivisset. Ex quo porro liquet, stare insuper hoc Systema cum antecedente in Deo voluntate salvandi omnes homines: Hæc enim respectu prædestinatorum absoluta est, & efficax; respectu reproborum verò conditionata solum, & inefficax. Argumenta quibus hæc in materiâ perturbari passim vulgus solet, retulit, at-

que ex S. Hieronymo potissimum dissolvitur. *Cl. Mass. hist. Theol. lib. VIII. à n. III. Vide etiam, quæ adfert ex Augustino lib. X. à num. VIII. -- item lib. II. num. XI. 3. -- lib. IV. num. VII. 2.* Nos interea exposito universo gratiæ Systemate ad Augustini mentem accuratius explorandam modò progredimur.

PARS II.

DOGMA AUGUSTINI.

PROLEGOMENA.

DE

AUTHORITATE, AC USU PATRUM, AC PRÆCIPUE
DE AUGUSTINO.

48. **U**TILISSIMAM non modò; sed & necessariam Theologo in re dogmaticâ, ac positivâ, ut vocant, SS. Patrum lectionem esse, nemo est qui dubitet. Doctores enim Ecclesiæ, ait Hieron.¹ *Non tam ipsi docent; quàm in ipsis Deus.* Quam ob causam Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum² præcipit omnibus, qui Evangelicam veritatem docuri sunt, ut scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesiâ, vel usus diuturnus approbavit, explanent. Duplex autem hæc in re est hæreticorum error; primus eorum, qui neglectis ceteris in unius duntaxat cum Janzenio verba jurant; alter illorum, qui, quod olim Lutherus, ac nuperrimè Dallæus, Rivetus, & Barbairacius fecere,³ omnes ex æquo fastidiunt, ac sugillant. Utrisque facilius occurremus, ubi primum, quid de Patrum authoritate, ac usu Catholici sentiant, exposuerimus.

49. PRIMUM itaque inter omnes convenit, authoritatem Patrum in rebus Philosophicis, aliisque ad dogma non pertinentibus non esse irrefragabilem. Nusquam enim hæc in re ipsis promissa fuit infallibilitas; paucique fuerunt, qui huic seridè operam dederint. Quo etiam factum est, ut ex Platonis scholâ, cui antiquiores addicti imprimis fuere, plures etiam errores in Philosophiam invexerint; cuius rei, inquit Melchior Canus:⁴ *Exempla proferre facilitum esset, sed non libet etiam in his parvis majores nostros designare.*

50. IMMO etiam in re dogmaticâ unius vel duorum autoritas fallibilis est. Nemo enim, inquit Aug. *quantumvis eruditus, & Sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur.* Et Hie-

ron. *Scio, inquit, me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: eos semper vera dicere; istos in quibusdam ut homines aberrare.* Et sanè sanctus fuit, inquit Canus l. c. *Qui in Christi corpore & sensum penæ, & dolorem fuisse negavit; Sanctus fuit, qui in Chiliastarum dogma descendit; Sanctus fuit, qui vivo ob adulteri culpam uxorem repudiante alterum matrimonium concessit; Sanctus fuit, qui animis periturum usque ad judicii diem veram felicitatem ademittit; Sancti fuere qui Angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos esse existimaverunt.* Ac ut de præcipuis aliquid sigillatim dicam: Lapsus est Cyprianus in rebaptizandis hæreticis; lapsus Hieronymus in aliquâ parte Danielis rejiciendâ; & durius loquendo de secundis nuptiis. Lapsus Basilius, & Nazianzenus duriora proferentes de tertiis. Lapsus Hilarius & Ambrosius in asserendâ Angelorum naturâ corporeâ. Lapsus denique & sæpius, & gravius ceteris Origenes, & Tertullianus. Ipse usque ad eodè Augustinus Semipelagianis aliquando adhæsit; multos etiam errores retractavit vivens, nonnullos etiam inemendatos reliquit uti infra ostendemus contra Janzenium. Hac sanè de re maxime monendi sunt, inquit Canus, qui *præceptis Theologiæ nullis acceptis post bonas, quas vocant, literas statim ad SS. veterum lectionem appellant animum.*

51. OMNES autem SS. Patres in re dogmaticâ simul errare non possunt, immo cum plerique Patrum seu in Concilio congregati, seu seorsim scribentes aliis scientibus, & non dissentientibus communi consensu docent, aliquid ex Apostolicâ traditione descendere, meritò id tale censetur. Constat id ex constanti praxi Ecclesiæ, quæ

(1) In Comment. in 1. cap. ad Gal. (2) Conc. Lat. act. 11. (3) Dallæus de vero PP. usu. Rivetus in Critico sacro & J. Barbairac in prolegom. (4) l. 7. de locis Theolog.

nunquam contra communem SS. PP. sententiam quidquam statuit; constat ex verbis Conciliorum, & traditionis cum Patrum doctrinâ connexionem, uti fusè ostendit Canus jam sæpe laudatus. Nunc quid de Augustino sentiendum, videamus.

52. QUOD Chrysostomus, & Basilii inter Græcos, hoc inter Latinos Patres fere fuit Augustinus. S. Hieronymus¹ ipsam appellat conditorem antiquæ rursus fidei, & præcipuum hæresis Cælestianæ debellatorem. Cælestinus I.² eum vocat Magistrum optimum. Concilium Sardicense liberos ejus commendat præ omnibus. Milevitanum, Arausicanum, & Tridentinum plura ex ipso loca ipsis Augustini verbis retentis, suos inter Canones retulere. Non fuisse tamen ipsum infallibilem, nec in omnibus ab Ecclesiâ probatum; idèoque, non sufficere ipsum unum pro omni materiâ Theologicâ, uti vult Janenius, non uno ex capite manifestum est. Si enim hic sequendus sit in omnibus, ergo dubitandum adhuc erit; an animæ nostræ creentur, an ex traduce ab Adamo propagentur; dum contrarium de fide est; teste S. Thomâ 1. P. qu. 118. a. 2. Dicendum erit Angelos esse corporeos, quod tamen Lateranensi repugnat.³ Dicendum erit delectationes voluntarias de rebus veneris non excedere noxam venialem, modò absit consensus in opus vel desiderium, vel periculum;⁴ & plura hujusmodi, quæ operosè congestit Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus, Scripturæ interpres celeberrimus; ut videre est in indice omnium ejus Operum, tomò 13. verbo: Augustinus, & tomò 12. in Defensorio cap. 18vo. — Quid plurâ? Ipse S. Doctor, quasi Janenii præfensisset commenta, omnem illis fidem jam olim ademit his verbis:⁵ *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepit.*

53. OPPONUNT nihilominus novatores ex Janenio.⁶ Innocentium I. approbasse literas synodicas nomine Synodi Carthaginensis, & Milevitane scriptas ab Augustino; & prolixam ejus epistolam 95. librumque de naturâ, & gratiâ: Quibus omnia pene doctrinæ Augustinianæ capita contineantur. 2. Idem fecisse Cælestinum in epist. ad Episcopos Galliæ; Zosimum, Normisdam, Joannem II. & Clementem VIII. 3. Concilium Arausicanum II. etiam probasse doctrinam Augustini. 4. Concilium Lateranense sub Martino I. consultat. 5. Post enumeratos multos Patres sic ait: *Suscipimus omnia, quæ ab eis pro rectâ fide,*

& in condemnatione hæreticorum exposita sunt, & alios Sanctos Patres. Et Gelasius Papa distinctione 15. cap. 3. Approbat opera Cypriani, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & similium: Reprobat autem opera Origenis, Tertulliani, Eusebii Chronicon, & quædam alia. Ergo quicquid ex his Patribus ac præcipue ex Augustino profertur, sanum, ac Catholicum dogma est.

54. R. ad 1. in epistolâ synodicâ Concilii Carthag. quæ est 90. inter epistolas Augustini duos tantum errores Pelagii proponi; & impugnari, quod scilicet homines sine gratiâ sibi sufficiant ad servanda Dei præcepta, & peccata vitanda, quodque parvuli non egeant baptismo, ad consequendam vitam æternam. Quem duplicem errorem ab Augustino rectè impugnatum declarat Innocentius; uti patet epistolam hanc legenti. Idem facit Concilium Milevitanum — hoc autem non est totam Augustini probare doctrinam. Ad 2. Cælestinus motus querelis, & dissensionibus occasione doctrinæ Augustinianæ exortis, ut ait cap. 1. illius epistolæ; collaudato deinde Augustino cap. 2. velut sanctæ recordationis viro, nullo sinistrae suspitionis rumore asperso & inter magistros optimos à Pontificibus habito, subjungit capita ab Apostolica sede approbata, & ab omnibus Catholicis tenenda; de quibus nulla modò est controversia. Ac tandem ita concludit: *Profundiores verò, difficiliorisque partes intercurrentium questionum, quas latius pertractârunt, (qui Pelagianis cum Augustino restiterunt) sicut non audemus contemnere; ita non necesse habemus adstruere.* Ad 3. R. Concilium Arausicanum nihil probasse, quod non vel disertè, vel subobscure continebatur in epistolâ Cælestini. Quæ porro de Gelasio, cæterisque Pontificibus adferuntur, approbata tantum fuere approbatione quâdam genericâ, quâ universum Authoris opus à maximâ sui parte commendatur: Non autem speciali, quâ omnia singulatim comprobantur. Itâ ferè Abulensis loco ante relato.

55. IN contrariam planè partem abiierunt post Lutherum recentiores ejus discipuli; qui omnem omnino Patribus, cum sibi contrarios experiuntur, auctoritatem detractam volunt: Audiamus præcipuos, atque ut ait Virgilius, ex uno discamus omnes. Dallæus l. 1. de vero PP. usu hoc instruit argumentum: Ut Patrum testimonia idoneam auctoritatem haberent, deberent esse certa; & clara: Atqui hujusmodi non sunt, ergo &c. Minorem propositionem probat undecim capitibus. Imò quia

(1) dial. 3. contra Pelagianos. (2) in epist. ad Episc. Gall. (3) sub Innoc. III. Cap. firmiter. (4) lib. 2. cont. Jul. c. 10. (5) ad S. Prosp. l. 2. de Dono persév. c. 21. (6) Cap. 15. libri proœmialis.

ex scriptis sacris trium priorum sæculorum, quæ propiora erant Christo & Apostolis, pauca supersunt; cum injuriâ temporum erepta; tum hominum fraude interpolata. 2dò Quia pauca attingunt de hodiernis controversiis. 3. & 4. Quia plurima sunt supposititia. 5. Quia utuntur vocibus inusitatis, ac sensu à nostrâ ætate alieno, stylo sæpe Rhetorico magis, quam Theologico ac involuto, nè omnia intelligerent ethnici. 6. Quia delectantur sensu magis allegorico, quam proprio. 7. Mutarunt sæpe opiniones, ingravescente ætate. 8. Difficile est judicare an sententias proposuerint tantum ut probabiles; an potius ut certas. 8. Non constat an senserint cum Ecclesiâ universâ vel quâdam singulari. Si ve nomine Ecclesiæ fideles intelligas, sive Episcopos, & Clerum; innotescere tamen non potest Ecclesiæ sensus; ætate Patrum receptus, cum singulos ex Clero aut cæteris orthodoxis interrogare non licuerit. Hactenus ille. 12. Frustra sudare in probandâ minore Dallæum, dum falsa est major propositio, quam idoneis firmare momentis negligit. Distingui etiam ita potest propositio: Certa esse deberent hæc testimonia, si judicium de traditionibus ferre deberet Ecclesia dependenter à solâ industriâ humanâ Patrum, permitto. Cum illud ferat assistente Spiritu Sancto N. Hujus enim ope agnoscit, quid probandum sit in Patribus. Atque hæc est responsio brevissima, & expeditissima; Hieronymo ac Augustino maxime conformis; quorum prior in simili occasione ad Luciferianos agebat: *Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare.* Alter contra Cresconium ita inquit: *Quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate questionis eandem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ambiguitate S. Scriptura demonstrat.* Cæterum qui singula minoris propositionis membra volet excutere, consulat prolixas responsiones R. P. Natalis Alexandri dissert. 16. sect. 2.

56. URGET idem: Patrum sententiam licet certò de eâ constet, non esse tamen infallibilem; idque denuo per 6. integra probat capita; sed responsio est eadem; non esse nimirum infallibilem hanc auctoritatem unius vel alterius, *Conc.* omnium N. v. subdis. Si sola ipsorum spectetur natura, studium, industria C. si simul spectetur Dei infallibilis promissio, & judicium

Ecclesiæ N. Hinc rectè monet Tridentinum sess. 4. *Ut nemo suæ prudentiæ immixtus in rebus fidei & morum ad edificationem doctrinæ Christianæ pertinentium SS. Scripturas ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenuit S. mater Ecclesia; cuius est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam S. interpretari audeat.*

57. OPPONIT Rivetus in Critico sacro: Universi P. P. adversantur sententiæ immaculatæ conceptionis; & tamen contraria inter Catholicos nunc obtinet; licet nondum sit à Pontifice inter fidei capita relata. Ergo universi Patres non efficiunt testimonium infallibile apud Catholicos.

Loca Patrum recenset post M. Canum, Natalis Alex. sect. 2. dissert. 16. §. 11.

12. Dist. ant. Universi PP. adversantur huic sententiæ, & hoc ajunt impugnatores ipsius C. propugnatores N. Cum enim Patrum dicta hæc in re non ubique perspicua sint, diversimodè quoque explicantur à Catholicis ab aliis in sensu absoluto, ab aliis in accommodo. Qui ex Catholicis putant Patres universos sententiæ huic refragari, eandem quoque rejiciunt: Admittunt ex adverso illam, qui putant Patres sibi favere, ideòque eos alio etiam sensu explicat. Certum autem est Augustinum, Origenem, Hieronymum, & Rupertum non apertius favere immaculatæ conceptioni, adeòque falsum esse, quod omnes SS. PP. sint contrarii; maxime cum hæc quæstio utpote sæculo superiore exorta à nemine SS. Patrum ex instituto tractata fuerit. Ex quo denuo confirmatur, neminem Catholicorum eam tueri sententiam, quam credat Patribus omnibus adversari. Legi eâ de re meretur Petavius T. 4. l. 14. c. 1. & 2. Et Petrus Canisius de *Deiparâ Virgine* l. 1. & 2. Joannes Barbayracius in Proleg. ad Puffend. §. 9. & 10. paginas facillè 26. meris implet conviciis, & tam in mores, quam in doctrinas singulorum gravissimè invehitur. Verùm huic facillè reponimus ex dictis, nec omnia in singulis probari à Catholicis; consensum tamen omnium in re dogmaticâ pro certo haberi. Ideòque totam hanc ejus declamationem à controversiâ criminomeno desistere. Quàm multa etiam Hieronymo, aliisque falsò affingat, demonstrare hoc loco facile esset, si ad rem præsentem faceret.

CAPUT I.

DE

LIBRIS S. AUGUSTINI HAC IN RE
CELEBRIORIBUS.

§. I.

*Liber de gratiâ Christi & peccato
originali.*

57. ARGUMENTUM Libri I. Damnato per Innocentium, & Zosimum Papam in Concilio Carthag. Pelagius liber hic, ut ipse testis est Augustinus, scriptus est. Scopus ejus ferme unicus est, novas Pelagii fraudes detegere; qui post contortum in se fulmen Apostolicum veteres errores novis, & Catholicis in speciem vocibus conabatur involvere. Ostendit itaque 1. non satis esse, quod fateatur gratiam Christi esse semper homini necessariam, quia sub nomine gratiâ intelligere posset gratiam remissionis, illius recordationem, legem, exemplum Christi &c. Sed toto libro urget admittendam esse gratiam internam, quæ non solum adjuvat illuminando, ut semper intelligebat Pelagius, sed verè cooperando. Errores Pelagii paucis ita complectitur. Admittere ipsam: *Possè in naturâ, velle in arbitrio, esse in effectu.* Excussio demum diligenter pravo sensu, quæ apud Pelagium faciebant hæ voces: *Gratia, adiutorium, juvare, possè, velle, possibilitas, potentia*, & similes, capite gvo hoc demum epiphonemate dicta, in unum colligit. *Hinc itaque apparet iniquis, hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat, & revelat Deus, quid agere debeamus: Non quâ donat, atque adjuvat ut agamus.* Demum ostendit, malè ab ipso asserti gratiam non ad simpliciter, sed tantum ad *facilius possè* concedi, omnemque Pelagius elabendi viam occurrendo præcludit.

LIBER Secundus docet: Pelagium frustra amoliri à se suspicionem hæreseos; sed re ipsâ idem docere, quod damnatus ante ipsum anno 412. à Conc. Carthag. Cælestinus: Hallucinari eos, qui dogma hoc negarent ad fidem pertinere. Denique refellit eos, qui in oppositam partem nimium desce-
rentes cum originale agnoscunt, nuptiarum laudabile institutum sugillarent. Hoc præmisso brevi operis totius conspectu quæ circa utrumque nobis universè videantur per sequentes propositiones declarare aggredimur.

58. PROPOSITIO I. Sunt ex Catholicis quidam, qui cum Pelagio affirmant; alii contra qui dubitent, annon hoc demum ex libro erui

possit, admissam fuisse à Pelagio gratiam aliquam internam in intellectu: Nos cum R. P. Tricassino & Illustriss. Fenelonio, & nostro P. Daniel, atque V. Bellarmino asserimus, nullum ex toto libro locum afferri posse, unde hoc nobis persuadeatur.

2. Imò multa esse quæ actualem gratiam aliquam & internam (quæcunque demum illa sit) & à naturâ distinctam, nunquam admissam ab eo fuisse, nobis etiam argumento positivo persuadeant: Nam *primò* gratiam suam hic Pelagius apud Aug. comparat cum potentiâ & facultate videndi, quod in gratiam certò actualement non cadit. *Secundo* ait, sine illâ nos esse, nunquam possè, quod pariter falsum est in homine dormiente aut illâ excitatione non indigente. *Tertio* affirmat se ponere *posse in naturâ, velle in arbitrio.* Demum ut alia quæ operosè congerit Tricass. omittam, ex verbis S. Augustini, cum hoc ipso libro, tum etiam de hæresi c. 88. idem non obscure eruitur. Quamquam ex lib. de gratiâ & lib. arbitr. c. 14. colligatur, quod pressus Augustinus argumentum standem gratiam interiori in intellectu admiserit; non tamen in voluntate.

3. Multo minùs S. Augustini mentem nobis assecuti videntur, qui asserunt, admissam hic fuisse à Pelagio gratiam aliquam ut vocant, *indifferentem* & alii per contemptum *Molinianam*. Quam graviter illi hallucinentur, qui videre volent, consulat elegantiores commentationes R. P. Tricassini in hunc librum, ubi omni ferè paginâ opinionem hanc confutat. m. pag. 60. 61. & seqq. Unde pariter frivolum est consuetarium, quod ex hac opinione tanquam verâ, supposita deducere conantur sectarii. Impugnata scilicet hic ab Augustino esse gratiam medicinalem indifferentem ex sua naturâ. Ideoque omnem & veram gratiam Christi & medicinalem debere esse à se ipsâ & suapte naturâ efficacem.

§. 2.

De gratiâ & libero arbitrio.

59. CUM Augustinus 4. jam libris Pelagianorum epistolas duas, & libris 6. Julianum identidem obstrepentem confutasset, scripsit librum præsentem, ut ipse fatetur l. 2. *retract.* c. 66., ad Monachos Adrumatinos, inter se disputantes, quo pacto cum libertate concilianda sit gratiæ efficacia.

P p p

ARGUMENTUM. Monet itaque eos Augustinus, ne vel negata gratia liberum arbitrium, vel libero arbitrio negato sola defendatur gratia. Atque is totius libri scopus est. Docet porro gratiam non dari secundum merita à Cap. 15. vitam æternam concessam in præmiū nostrorum operum vero sensu esse gratiam. Deinde nomine gratiæ Christi non intelligi scientiam legis, non naturam, non peccatorum extrinsecam condonationem. Sed gratiam internam: Hanc facere ut *lex impleatur, natura libere- tur* &c. Discutit deinde quo sensu accipi debeat quod Deus jubeat quæ ipse daturus est? Item an verum sit, quod criminabatur hæretici: Deum nempe imperare ea, quæ fieri non possunt. Docet porro *agere & operari Deum in cordibus, facere ut faciamus*, voluntatēque quoquo demum voluerit, inclinare, sive ad bonum ex merā erga nos commiseratione, sive ad malum, ex hominis merito; judicio suo et si nobis non semper innotescente, semper tamen æquo & justo. Demum in parvulis ad Cælum admittis luculentum gratiæ gratis concessæ exemplum extare.

60. PROPOSITIO I. Frustra ex hoc libro delectationi suæ victrici Jansenii schola patrociniū quaerit. Ait quidem Aug. c. 20. *Deum facere ex bonis malos, voluntates hominis ita esse in Dei potestate, ut eas quod voluerit, quando voluerit faciat inclinari vel ad beneficia . . . præstanda, vel ad penas . . . ingerendas.* Adfert item illud Prov. 12. *Sicut impetus aquæ, sic cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit inclinabit illud.* Et plura hujusmodi quæ ferèrè ducuntur ad has voces: *Agere, operari, inclinare, convertere* &c. Nihil autem aliud sonant quam Deum physice nobiscum concurrere, dare gratiam, quam scit cum actione nostrā libere conjungendam, nec deesse omnipotentiae ejus media, quibus id quod vult ab homine obtineat; non sic tamen, ut ipse se explicat hoc libro S. Augustino, *ut eis liberum adimat arbitrium.*

II. Nec majoris ponderis sunt argumenta, quæ ab omnipotentissimā Dei voluntate, actione, operatione, & aliis hujusmodi deprompta iidem Novatores operose congerunt. Ipse hæc sophismata diffiat Augustinus, & quidem si rogas quomodo operetur per omnipotentiam, an determinando, necessitando, ineluctabiliter impellendo? Nihil horum sanè: *Sed per Angelos bonos*, respondet, *vel malos.* Permittendo nimirum eorum vel ad virtutem, vel ad peccata inspirationis, non tamen ut Apost. alio in loco docet, permittendo te *tentari supra id quod potes.*

III. PARI facilitate explicat, quam in partem accipiendæ sint voces quædam aliæ

duriusculæ, ut *jubere, velle, præcipere* & similes. Audi ipsummet S. Doctorem cap. 20. de Semei ita differentem: *Quomodo dixerit Dominus huic homini, maledicere David, quis . . . intelligit?* Et respondet illic: *Non enim jubendo dixit ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem NB. proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo, & occulto inclinavit.* Paulo post causam reddens, *cur ejus cor malum in peccatum miserit vel NB. dimiserit*, ait id à Deo permissum fuisse, ut Davidi occasionem præberet exercendæ humilitatis. Deum sic finit: *Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem, atque adjumentum bonorum.* Sic usus est Juda . . . sic usus est Judæis, imo capere sequente plurima diligentissimè colligit exempla ex sacris paginis, ubi Deus dicitur: *Egisse, operatus esse in cordibus malorum, convertisse, suscitasse, præcepisse* &c. Et subjungit: *Utrumque verum est, quia & suā voluntate venerunt, & tamen Spiritum eorum Dominus suscitavit.* Ex quibus locis duo conficiuntur. Primum est, non pugnare inter se *excitare, agere* &c. Et illud, in cujus animo Deus agit, aut quem excitat, libere operari. Alterum. Augustinum usurpare voces, *dimittere, uti, usus est, inclinare* &c. Nusquam autem in toto hoc libro, ut rectè advertit Illust. Episc. Cameracensis, voce *determinare* aut *necessitare.*

IV. Quid sit operari in animo hominis, sub finem cap. 21. ita declarat. *Operatur agendo in corde Absalon, ut bonum consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret.* Ubi non obiter notari velim ab Hæreticis duo consilia. Bonum unum, & alterum malum, item voces: *Eligere, repudiare.* Quæ omnia evincunt ita agere Deum, ut relinquat potestatem homini ex utroque quod vult eligendi, ac proinde libertatem quam vocant *indifferentiæ.* Cui adde illud ex cap. 16. *Facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati;* id est ut exponit de libero arbitrio lib. 3. cap. 16. *Sufficientissimam facultatem.*

§. 3.

De Correptione & gratiā.

61. INTER reliquos Augustini libros nullus fermè est qui ita Theologorum fatigaverit ingenia quàm præfens, & duo, quos ibi adiecit, de prædestinatione SS. & dono perseverantiæ. Quo factum est, ut Jansenius reliquique eodem de grege homines virus suum, ut ex floribus etiam optimis araneæ, hinc omne quasi traxerint, jactantes à suis partibus omnino stare Augustinum. Quare ne per reliquos identidem libros divagari necessum sit, proposito hic breviter libri argumento, locos istos

celebriores, quantâ possumus brevitate; unum sub conspectum dabimus, adjectis nostris circa eosdem commentationibus, nullâ interim difficultate dissimulatâ.

Libri scopus, series, & Argumentum.

OCCASIONEM librum hunc scribendi anno 427. August. arripuit, ut ipse testis est, quod nuntiatur ei fuisset, dixisse quendam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo ut faciat, orandum. Hinc

62. APERIT Primò quid doceat Ecclesia de lege, lib. arbit. & gratiâ. Secundò. Gratiâ non monstrare modò, quid faciendum sit, sed juvare etiam ut cum dilectione faciant. Correlationem peccatorum, qui hanc gratiâ non accepere, injustam non esse, cum suâ voluntate mali sint, neque inutilem, tametsi non nisi per Deum fiat, ut prosit. Tertio. Perseverantiâ esse magnum Dei donum, non tamen idcirco negligendam correctionem peccantis: Hunc enim & correctione dignum esse, quia suâ voluntate peccavit, & damnatione, si eo in statu perstiterit. Quartò. Cur autem uni præ alio ingens hoc donum obtingat pertinere ad inscrutabile Dei iudicium. Quintò. Ex prædestinatis perire neminem posse: Perseverantiâ iis omnibus dari, qui verè filii sunt præscientiâ & prædestinatione Dei. Sextò. Ostendit Adam datum fuisse adiutorium sine quo permanere non posset, si vellet: Non autem quo fieret, ut vellet. Nunc verò per Christum dari non solum sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, sed etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Denique prædestinatorum, quorum proprium est huiusmodi donum, ostendit certum esse numerum; atque, cum incertum sit, quis eo de censu sit, omnibus peccantibus adhibendam esse correptionem.

63. PROFERUNTUR loci admodum diffiçiles, ex cap. 8. & 11, 12. Levias sunt & pugnae quasi præludia, quæ primis habentur capitulis, puta cap. 2. Gratiâ Dei per Jesum Christum est... quâ solâ homines liberantur à malo, & sine quâ nullum prorsus, sive cogitando sive volendo, & amando sive agendo faciunt bonum... & cap. 5. ubi eadem gratiâ vocatur, gratiâ per quam S. Petrus Dominus respexit, & fecit eum suum peccatum fovere &c. At difficiliora occurrunt cap. 8. à n. 17. Ubi de gratiâ, quam Christus Petro orando impetravit, ita ait: An audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset... quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, ut vellet: Nam quis ignorat, tum fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permanens si eadem voluntas ma-

neret? ... Quando ergo rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem. Ecce quem admodum secundum gratiâ Dei non contra eam libertas defenditur! Ex quo loco quæ Iprensis schola derivet consecutaria, in omnium facile incurrit oculos. Sed tricarum nondum finis: Favere adhuc magis sibi contendunt caput 11. ex quo manifestè sibi videntur colligere gratiâ Christi, quæ modò datur, omnem esse ex naturâ suâ efficacem, semperque cum efficientiâ conjunctam, ac proinde nullam modò dari posse sufficientem. Verba sunt huiusmodi: Adam non habuit Dei gratiâ? Imò vero habuit magnam, sed dispavim... proinde, etsi non lætiore nunc veruntamen potentiore gratiâ indigent isti (scilicet Sancti & Prædestinati) & intra. Istam gratiâ non habuit homo primus, quâ nunquam vellet esse malus: Sed sine habuit, in quâ si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine quâ etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deservere posset... liberam arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adiutorium si homo ille per liberum non deservisset arbitrium, semper esset bonus: Sed deservit & desertus est: Tale quispe erat adiutorium quod deservet, cum vellet & in quo permaneret, si vellet; non, quo fieret, ut vellet. Hæc prima est gratiâ, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim quâ fit, ut habeat homo justitiam si velit: Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit, ut vellet, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem... voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii. Quomam sic adjuvabatur ut sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet deservet: Hæc autem tantò major est, ut parum sit homini per illam & parave per liberam libertatem. parum sit denique non posse sine illâ, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit... tunc Deus... dederat adiutorium, sine quo in eâ non posset permanere si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio... nunc autem, quibus datur tale adiutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiâ datur... per Jesum Christum ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus: Verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus.

64. TRIUMPHANT in hoc loco Calvinus & Jansenius, inferuntque hinc: Impotentiam bene operandi in non prædestinatis gratiâ à se efficacem, & necessitantem, liberi arbitrii amissionem in pœnam peccati, & alia ejusdem furoris. Antequam

tamen nostram proferamus sententiam, qui etiam de aliis hic esse sermonem pro operæ pretium erit, audire adhuc nonnulla ex cap. 12. Quæ sanè ejusmodi sunt, ut novatorum opinionibus non leve inde videatur accedere posse firmamentum. Postquam igitur notarat quid intersit discriminis inter *posse non peccare* & *non posse peccare* ita sermonem prosequitur: *Prima ergo libertas (Adæ) voluntatis erat posse non peccare: Novissima erit multo major non posse peccare . . . prima erat perseverantiæ potestas . . . posse non deservire: Novissima erit felicitas perseverantiæ bonum non posse deservire. Ubi manifestè significat (ut quidem Janfenio & Quesnello videtur) solam dari & sufficere modò libertatem à coactione. Sed audiamus reliqua: Postquam adjutorium finè quo non (seu gratiam sufficientem Adæ concessam) comparaverat cum adjutorio alimentorum finè quo non fit; non quo fit ut vivamus, & adjutorium quo aliquid fit, cum beatitudine, quam non habet homo & quæ cum data fuerit continuò fit beatus. Ità pergit: Primo itaque homini . . . datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed finè quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei . . . prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut . . . perseverantes esse non possint, verum etiam ut . . . sint. Major libertas est necessaria adversus tot . . . tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt . . . illi ergo . . . data est voluntas libera, & eam fecit servare peccato: Horum verò cum fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum qui dixit (Joannis VIII.) si vos filius liberaverit tunc verè liberi eritis . . . Nunc verò posteaquàm est illa magna peccati merito amissa libertas etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas &c.*

Nunc quàm vehementer plures his in locis voces heterodoxis imposuerint videamus.

65. PROPOSITIO I. Certum est in libro hoc & duobus mox subsecutis S. Augustinum non agere nisi de electis ad vitam æternam. Aperit id docet Aug. cap. 13. Cujus hoc est initium: *Hec de his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei.* Colligitur id quoque non obscurè ex eo, quod omni ferè paginà recurrant hæ voces. *Corona meritorum, coronavi beatitudo, vita æterna, quos perducit ad regnum, discerit à massa perditionis, electi vocati secundum propositum, vasa misericordiæ &c.* Ut etiam observarunt Illust. Cameracensis, Petavius, Daniel & Cl. Mattheus &c. Denique tota libri, & capitum series id palam facit vel obiter legenti. Quare crassus est error Fromondi, aliorumque suspectorum hominum,

qui etiam de aliis hic esse sermonem pro suo sibi genio comminiscuntur.

66. II. ALTER illorum error est, qui cum de prædestinatione ad gloriam incidit mentio, id de prædestinatione ad gratiam perperam intelligunt. Cujus erroris etiam quosdam Catholicos aliis in locis reos agit Tricassinus comment. in lib. de grat. Chr.

67. III. IN locis paulò antè ex Augustino recitatis, quædam nisi benigniori moliantur interpretatione, apertè significant hæresim Calvini, & Lutheri, de *impotentia absolutâ, & gratiâ necessitante, & arbitrio planè extincto.* Quod tamen, etsi re ipsâ idem sentiant, dictum nollent sectatores Janfenii.

68. IV. SI (quod perperam ex hoc loco exiungere conantur novatores) conficeretur non aliam modo dari gratiam, quàm auxilium quo, seu efficacem, quàm hic describit Augustinus, sequeretur vel gratiam perseverantiæ dari multis etiam non perseverantibus, vel eam in hac vitâ concedi nemini, nisi prædestinatis: Quod, ut ait Petavius lib. de Concil. Trid. & August. sent. cap. 8. Nefarium est sceleratissimæ Calvini dogma quod meritò execratur Ecclesia, estque à Tridentinis Patribus anathemate damnatum. Addi poterat quod non modò S. Augustino apertè repugnet, sed & quotidiano usui, quo docemur, multos per 10. pluresve annos Divinâ adjutos gratiâ gravissimarum etiam tentationum impetus frangere, & tamen demum pessimo vitam fine claudere.

69. V. SI locus ex cap. 8. sub initium relatus ad mentem Fremondi apud Ill. Fernelonium exponatur eo sensu, quem verba videntur præ se ferre; *Petri fidem nimirum defecturam non fuisse, etiamsi voluisset.* Consequens est, & potuisse contingere, ut Petrus noluisse amplius credere, & tamen credidisset, quæ pugnantia sunt.

70. VI. SI quis hoc loco vellet à sententiâ Augustini discedere, nec in Augustinum, nec in Ecclesiam foret injurius. Non in Augustinum, cum subortâ quondam de ejus dogmate dubitatione ita rescripserit ad S. Prosp. l. 2. de don. persev. c. 21. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: Nam propterea non facio libros in quibus opuscula mea retractanda suscepit.* Deinde non in Ecclesiam, quia de peculiari ratione prædestinationis, quæ tantas in scholis excitavit controversias, & Arausic. & Tridentinum altum siluere, neque hæc in re probata fuit ab Ecclesiâ doctrina Augustini, ut ostendit Petav. l. c. Imò Celestinus Papa, cum reliqua Augustini dogmata

ram operose commendasset, doctrinam de prædestinat. intactam reliquit, & S. Prosper sub finem 10. capitum, quæ epistola Cœlestini subiecit, in hæc verba definit: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrent unæ quæstionum . . . sicut non audeamus contemnere irā non necesse habemus adstruere.*

71. VII. NECESSE tamen minimè nobis videtur vel hic à S. Augustino discessionem facere, siquidem variæ ipsum cùm Ecclesiæ, suoque alibi tradito dogmate conciliandi viæ sunt, ex quibus qualem præcæteris elegerimus, planum fiet infra c. 2. §. 6. de gratia prædest.

§. 4.

De Prædestinat. SS. & de Dono Perseverantiæ.

72. ARGUMENTUM lib. I. Scripsit hunc post libros retractationum anno circiter 428. uterque, ut Cameracensis hic & Petav. l. c. advertunt, est continuatio dogmatis cujus in libro superiore jamtum semina jecerat. -- Ostendit c. 2. initium fidei donum Dei esse. Faterur c. 3. hac in re se quondam errasse, cùm epistolam ad Rom. exponeret: At postea convictum illo Apostoli: *Quid habes quod non accepisti*, secus fensisse. Deinde docet gratiam prævenire bona opera, etiam fidem; gratiā tolli cordis duritiem, & ad Christum venire omnes qui à Patre docentur, ut veniant, quos autem docet, misericordiā docere, quos non docet, iusto iudicio non docere. C. 10. ait prædestinationem esse non posse sine præscientiā. Exponit porro diferimen, quod est inter gratiam & prædestinationem. C. 10. inquit prædestinatione Deum ea præcivisse, quæ fuerat ipse factururus. Gratiā gratis dari ostendit exemplo parvulorum. Post enarrata varia cap. seq. prædestinationis attributa docet c. 18. eligi nos à Deo non quia futuri sumus Sancti, sed ut simus & prædestinando nos eligere.

73. ARGUMENTUM l. 2. de don. persever. Perseverantiā definit, quod sit donum Dei . . . quo usque in finem perseveratur in Christo. C. 2. ait: Fidem esse initium hominis Christiani, Martyrium pro Christo finem fore optimum. C. 5. ostendit Pelagium (id quod ab eo hauserunt hodierni sectarii) voluisse solos iustos omni peccato carentes ad Ecclesiā pertinere. C. 6. ait: *Voluntate sua quisque Deum deseruit, ut merito deseratur à Deo.* C. 9. & seq. variis exemplis confirmat inscrutabilia esse iudicia Dei. C. 11. neminem ait obdurari, nisi mereatur. Deinde commemorat varia errata modò à se correctā, præsertim ex iis quæ asseruerat in libris de lib. arbit. C. 14. iterum inculcat

prædestinationem SS. *nihil esse aliud, quam præscientiam scilicet & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* C. 18. monet: Prædestinationem præscientiæ interdum nomine significari. -- C. 22. hortatur ne cuius de plebe proponantur gravia illa de prædestinatione mysteria.

74. PROPOSITIO I. Imperitè certè faciunt novatores, qui ex doctrinā, quam tradit Aug. hic c. 18. exsculpere conantur, nihil inter nostrum, & Semipelagianorum de gratiā systema interesse discriminis. Non adverterunt quippe Semipelagianos affirmasse prædestinari homines ad gratiam v. g. fidei, quia prævisi sunt consentire. Nos contra docere: Prædestinari quia liberalissimè vult Deus. Quæ quantum inter se discrepent, vel Dialecticæ tyro viderit. Præluere fatemur scientiam mediam, at nequaquam asserimus esse causam. Hoc postremum hæresis est, primum ipsa doctrina Augustini, qui nunquam à prædestinatione sejunxit præscientiam, ut pote necessariam, ad hoc ut vocet quomodo scit ei congruere ut vocantem non resistit. Hinc ait: *Non potest esse prædestinatio sine præscientiā, potest autem esse sine præscientiā prædestinatio.* Et c. 14. *Hæc est prædestinatio, nihil aliud: Præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur . . . nam in sua (irā pergit C. 17.) quæ falli mutariq. e non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare.* Quare si iis, quæ passim schola societatis docet in tract. de Deo de prædefinitionibus consentanea loqui volumus, mentem nostram aperire explicatiùs non possumus, quam dicendo cum Aug. hoc ipso in capite. *Certum est . . . manifestum est, ideo . . . tales eramus futuri, quia legit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus effemus.*

75. II. TAMETSÌ Iprensis schola & quidquid eadem fuligine afflatum est in Augustini jurare verba videatur, tamen ab ejus opinione mirum quantum se disjungere, dum quod ipse hic c. 22. faciendum vetat, cum quovis de plebe homine imò ipsis etiam cum mulierculis gravissima illa de prædestinatione mysteria communicant. Quà de re legi meretur libellus cui hic titulus præfixus est: *Histoire de l'ensonce de J. C.*

76. III. DE universâ demum Augustini doctrinā circa præsentis controversias asserimus. 1. Nullum ex reliquis Ecclesiæ Patribus tantā contentione simul & felicitate tractasse materiam de gratiā, quàm Augustinum. 2. Neminem à vero ejus dogmate longiùs recessisse, quàm eos, qui illud novis quali typis videbantur recudere: Quos

inter chorum ducit pessimus Augustini interpretes Janfenius. 3. Hallucinari, atque toto aberrare Cœlo, qui cum Abbate quodam obscuri nominis, quem confutandum suscepit olim Petavius, ita Augustiniano in omnibus dogmati adhærescendum affirmant, ut ex ipso potius Tridentinum, quam ex Tridentino explicari oporteat Augustinum. Nec minus audiendos illos, qui contraria planè in studia ducti cum Launoy, aliisque Augustinianæ doctrinæ masttygibus, S. Doctorem hunc à vero Ecclesiæ sensu recessisse, atque nova, imò & hæretica in medium attulisse dogmata contendunt. 4. Nulla nihilominus censurâ notandos, qui in quibusdam ejusdem sententiis, quales sunt parvulorum ob solam culpam primigeniam reprobatione, de eorum cruciatibus æternis, de prædestinatione ante prævisâ absolute meritâ & similibus dissentiant. 5. Falli demùm insigniter hæreticos, qui, quod de sacris litteris passim tradunt, id etiam sentiunt de doctrinâ Augustinianâ, asserentes nimirum, nihil eâ clarius, nihil explicatius, aut in aperto magis positum, aut esse aut inveniri posse. Erroris profectò eos tacitè conveniunt tot scholæ Catholicæ de vero ejus sensu tanto jam tempore inter se digladiantes, quas sanè de nihilo contendere qui ausit asserere non tam quid de doctissimis ille viris sentiat, quàm quid de se ipso sentiri ab eruditis velit, palam facit.

77. COROLL. I. Cùm itaque doctrina S. hujus Doctoris, non adeò in expedito & proclivi posita sit, mirum non est, tanto à se intervallo circa ejusdem mentem disfidere Catholicorum scholas, erroresque etiam varios in eodem interpretando committi. Quos tamen ad tres potissimum classes reducimus. 1. est quod prædestinationem ad gloriam sæpe cum prædestinatione ad gratiam confundant. 2. Quod neglecto sæpe libri scopo, aut totius, quod contra hæreticos instaurat, argumenti serie, ad solas quasdam voculas, aut suis è locis avulsas sententias animum advertant. 3. Quod ex libro de gratiâ Christi ostendi posse existimant, aut rejectam ab Augustino, aut assertam à Pelagio fuisse gratiam quandam interiorem & indifferentem. Quem postremum errorem jam tum superius perstrinximus.

78. COROLL. II. Occasionem ita variè interpretandi cùm ex perfunctoriâ ejusdem oriri lectione asserimus, tùm ex ipso quâdòque Augustino, cui cùm contra hæreses è diametro oppositas dimicandum eodem ferè tempore esset, facilè etiam non cogitanti elapsæ sunt voces, quæ si à totâ reli-

quarum partium serie sejungantur, duriusculæ, quid? Quòd & minùs Catholicæ videri possint. Verùm hic maximè locum habet illud S. Hilarii de Trin. l. 2. *Sensus, non sermo fit crimen*: Cæterùm quantâ, hæc ipsâ in re ne usquam impingeret, diligentia S. Doctor usus sit, sequenti scholio aperiemus.

79. SCHOLION. Advertit facilè Augustinus, cùm contra duo dogmata adeò sibi opposita, dimicandum sibi esset, difficillimum fore, ita semper in medio consistere ne alterutra sectarum schola ex dictis suis quidquam in suum derivare commodum conari posset. Quapropter ut cavillationibus ejusmodi, quanto posset studio, occurreret, adlaboravit pro virili ut in aprico poneret, quantum ipse ab utroque hæreticarum opinionum extremo & ab sit & abesse velit. Utrumque semper extremum ex æquo cavens, & eorum, qui cum Pelagio negabant gratiam interiorem in voluntate ad bona opera esse necessariam, & eorum, qui contendeabant, à solo Deo ejusque gratiâ per vim sibi innatam & quasi congenitam pendere hominis bona opera ita ut nihil sibi vendicaret libertas. Audiamus ipsa S. Doctoris verba lib. de spir. & lit. c. 33. ubi sic ait: *Si dixerimus bonam volitionem nostram non esse donum Dei* (quod erat extremum Pelagianorum) *metuendum est, ne existinemur invenisse nos aliquid, quod Apostolo increpanti & dicenti: Quid habes quod non accepisti &c. respondere possimus: Ecce habemus voluntatem credendi quam non accepimus Si autem dixerimus etiam hujusmodi voluntatem non esse nisi donum Dei, rursus metuendum est, ne infideles, atque impii veluti justè excusare videantur, ideo non credidisse quod daret illis Deus istam noluit voluntatem.* Item l. de nat. & gr. c. 32. *Non enim cùm ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus: Sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim profunt ista nisi . . . humiliter volenti non de voluntatis viribus, tanquam ad justitiæ perfectionem sola sufficiat; & l. de perfect. justitiæ c. 19. Non quia hoc sine voluntate nostrâ agitur: Sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur.* Tandem (ut omittamus plura alia quæ in libris de pecc. mer. de spir. & lit. de grat. & lib. arbitr. occurrunt) epistola 47. omnes ita adhortabatur orthodoxos: *Non declinetis inquit, in dexteram neque in sinistram: Hoc est: Non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratiâ tribuatis, nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illâ securi, mala opera diligatis.* Spectatis jam universè S. Doctoris hujus libris ad singula ejus dogmata veniamus.

CAPUT II.

SUMMA DOCTRINA AUGUSTINIANÆ.

§. I.

De gratiâ generatim acceptâ.

80. **S**AUGUSTINUS quamvis fateatur ep. 95. *Quidam non improbandâ ratione dici gratiam Dei, quâ creati sumus.* In libris tamen, quos contra Pelag. & Julianum scripsit, ait, gratiæ nomine apud Patres & Theologos non venire aliam, quam supernam illam, quâ salutem & iustitiam consequimur. *Hanc*, inquit in epistolis, *Apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, quâ salvamur & iustificamur ex fide Christi: Illam vero gratiam quâ creati sumus homines, licet ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellata fuit in ullis legitimis Prophetis, Apostolicis, Evangelicisque literis.*

GRATIAM esse donum supra naturæ vires & exigentiam positum, non in solo intellectu, sed & in voluntate intrinsecè receptum, necessarium item ad opera salutaria, & imbecillitatem naturæ adjuvandam: Dare nobis velle, & perficere. Constans Augustini doctrina est contra Pelagium, maxime in libris de grat. & lib. arbitr. de correptione & gratiâ, & de gratiâ Christi, ubi ex instituto ista tractat atque operose inculcat. Nomina quæ passim divinæ gratiæ tribuit sunt ferè hæc: *Vocatio, auxilium, adiutorium, morio, delectatio celestis, charitas, misericordia Dei, donum, medicina, lumen*, & quæ sunt huiusmodi.

81. GRATIÆ divisiones admittit rarias ut passim videre est in ejus circa hanc materiam operibus. Non tamen eas simul ac semel tradit. Neque pressis adeo & succinctis definitionibus, ut modò faciunt scholastici. Versatur porissimum circa *actualement, adjuvantem, operantem, excitantem, efficacem, & prædestinantem.* Hæc enim eâ ætate à Pelagiano, Semipelagianoque grege vocabantur in controversiam.

GRATIAM efficientem seu actualement ita ab effectis describit lib. de grat. Christi c. 12. *Quâ gratia agitur non solum, ut faciendo noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Eandem in suas tributam species, puta in operantem seu excitantem, & cooperantem seu adjuvantem lib. de grat. & lib. arbitr. c. 12. In hunc modum proponit: *Ille qui præparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit.* Item l. 2. contra 2. epist. Pelagian. c. 8. de eadem ita differit. *Quoties bona agi-*

mus, Deus in nobis, & nobiscum, ut operemur, operatur. Et ibid. *multo Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: Saltem liberè. (En gratiam prævenientem!) Nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus, ut faciat homo. (En gratiam cum homine operantem!).* Atque duo hæc loca etiam ipsius Concilii II. Arausici calculo comprobata, atque inter ejus canones relata fuere.

De gratiâ efficace & sufficiente quid senserit, cum non una omnium sit opinio id suo postea loco accuratius pertractandum suscipiemus.

82. GRATIAM prævenientem aliquam ad intellectum pertinere censet Aug. toto ferè libro de gratiâ Christi, tum etiam lib. de grat. & lib. arbitr. c. 7. *Ista opera bona inquit, si non præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent.* Item: *Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem.* l. de don. pers. c. 8. aliam ad voluntatem refert l. 2. cont. Maxim. Episc. c. 19. *Non ipse inquit, gemit, sed inspirans nobis desiderium sanctum, nos facit gemere.* Similia occurrunt alibi passim. Imò ponit eandem in utriusque potentie actibus, hinc l. 2. de pecc. mer. c. 19. n. 33. ait: *Cum illius adiutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat.* Item. Serm. 17. in Ps. 118. n. 3. *Deus . . . Sic docet, ut scienda sciamus aperiendo veritatem; sic docet, ut facienda faciamus inspirando suavitatem.* Et l. 2. de pecc. mer. c. 17. n. 26. *Nolunt homines facere, quod iustum est, sive quia latet, an iustum sit, sive quia non delectat.*

83. UTRAMQUE hanc gratiam prævenientem, uti in actibus vitalibus ita & in actibus indeliberatis probabilius constituit. Colligitur id ex c. 34. de spir. & lit. n. 70. ubi de voluntate credendi loquens: *Non ideo, ait, istam . . . Divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est . . . verum etiam, quod visorum suorum agit Deus, ut velimus, & credamus, sive extrinsecus . . . sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quod ei veniat in mentem.* Item l. 1. ad Simpl. Q. 2. *Non præcedit voluntas bonam vocationem, sed vocatio bonam voluntatem.* Hanc autem vocationem lib. de bono persév. *Vocat cogitationem piam, quæ non est in hominum potestate.* Verbo: Non alia sunt apud Augustinum & alios Patres hujus gratiæ nomina, quam quæ sunt, vel sanctarum in intellectu cogitationum, vel piarum in

voluntate affectionum, quibus sive ad liberam boni salutaris prosecutionem sive ad liberum mali odium impellimur. Circa modum autem quo gratia præveniens sensim & quasi per gradus hominem ad actum deducat, mentem suam clarissime explicat *serm. 8. in Pl. 118. n. 5.* Prius est . . . ut videatur quam sint utiles & honestæ (justificationes Dei) deinde, ut earum desiderium concupiscatur: Postremo, ut proficiente lumine atque sanitate delectet earum & operatio quarum sola ratio delectabat.

§. 2.

De gratiâ naturæ innocentis.

84. **G**RATIA ad perseverandum necessaria erat tam Angelis, quam homini innocenti. Si hoc adiutorium vel Angelo vel homini, cum primum facti sunt defuisset . . . non utique sua culpa cecidissent: Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possint. *L. de corr. & grat. c. 11.* Sic ergo factus est homo reclus, ut & manere in eâ rectitudine posset non sine adiutorio Divino & suo fieri perversus arbitrio. *Enchir. c. 107.*

GRATIA naturæ innocentis concessa fuit indebita. Nam *l. de corr. & gratiâ c. 11. n. 31.* sic ait: Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Inimò verò habuit magnam . . . ibid. nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratiâ, quam reliquit in ejus arbitrio. In hoc autem libro accuratè indagat discrimen, quod intererat inter hominem innocentem & lapsum. Nusquam verò illud inde repetit quod gratia homini lapso fuerit indebita & debita innocenti. Gratia autem hæc consistebat & in habituali, seu sanctificante, & actuali. De primâ ita loquitur S. Doctor *l. 1. contra 2. ep. Pel. c. 19.* Constatendum . . . non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de SS. Angelis dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. De gratiâ actuali intellectus hæc profert *l. 11. de gen. ad lit. c. 33.* Cum primis etiam parentibus Deus intrinsecus loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur illustrans mentes eorum. De gratiâ actuali voluntatis hæc habet *l. de nat. & grat. c. 48.* Nam & tunc erat adiutorium Dei, quod tanquam lumen sanis oculis, quo adjuvi videant, se præbebat volentibus.

DONUM porro integritatis in primo homine fuisse donum habitualis gratiæ ex phrasi Augustinianâ multis in locis non obscure colligitur: Vocat enim donum hoc indumentum quo vestitus, indutus erat homo; post peccatum verò à gratiâ desertum, nudatum, spoliatum ait. In *l. 11. de gen. l. 12. & 13. de civ. contra Pel. & Julianum* passim.

§. 3.

De gratiâ sufficiente.

85. **D**EUM seridè velle salutem omnium hominum tantum abest, ut negarit Augustinus, ut etiam pluribus in locis (*puta in sermonibus, tract. in Joannem in libris de lib. arbit. de spir. & lit., & contra Julian.*) iisdem pene verbis inculcet. Argumento sint duo loca ex innumeris: Vult inquit *l. de spir. & lit. c. 2. n. 58.* Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, qui bene vel male utentes libero arbitrio iustissime judicantur. Et *l. 5. contra Jul. c. 1. n. 3.* Dei . . . filius Salvator est omnium.

Atque hinc est, quod Christum etiam mortuum esse pro omnibus Thomassinus, D. Daniel, & illustrissimus Fenelonius, id dudum ex multis & nuper recentior quidam ex 16. diversitatis sancti hujus Doctoris locis comprobavit. Nobis hic tria contra Jansenium protulisse sufficiat: Primus locus est *serm. 4. de symb. ad Catech. c. 5. n. 5.* Tunc diabolus sensit Deum liberantem omnes quos creaverat homines. Secundus *l. 20. de civ. c. 6. n. 1.* Omnes itaque mortui sunt in peccatis . . . sive originalibus sive etiam voluntate additis: Et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus . . . ibid. pauldante: Ut moveretur D. Jesus pro omnibus. Tertius *l. 2. op. imperf. n. 175.* Pro omnibus mortuus est quia omnes per peccatum mortui sunt. Quid clarius?

86. ALTERAM Jansenii & Quesnelli de impossibilitate observandi præcepta blasphemiam jam olim confutaverat: *l. 2. de pecc. mer. c. 6. n. 7.* ubi ait: Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse nec Deo optulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse. Item *serm. 32. c. 9. n. 9.* Vocat te Deus & jubet, ut facias, sed ipse dat vires, ut, quod jubet, impleri possit. Et demum *l. de grat. & lib. arbit. c. 2. n. 3. & 4.* Ecce aperitissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodire, & fieri jubet Deus . . . si non est liberum arbitrium? Nemo ergo Deum cavetur in corde suo, sed sibi impuret, quisque dum peccat.

87. PRÆSIO esse omnibus urgente præcepto gratiam sufficientem, quibus præcepta vel proximè vel remotè fiant possibilia eadem facilitate ex S. Doctore eruitur. Veniant ait in *Pl. 40. n. 4.* Infideles ad fidem, qui dubitabant. Non dicant: Quis legem Christianam implet? Præsumendo de gratiâ Dei credant, præsumendo veniant, adjuvandi veniant. Rationem dat *l. de nat. & gr. c. 43.* Non enim Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere

petere quod non possis (intellige proximè) quæ verba aded placuere Concilii Tridentini Patribus, ut ea Sess. 6. c. 11. m. p. 28. Tanquam sua adoptarint, neque immerito: Distingunt enim accuratè inter *gratiam orationis*, & *gratiam operis*, item inter *potentiam remotam*, & *proximam*: Idem similibus ferè verbis repetit S. D. l. 3. op. imperf. n. 115. cum ait: *Deus dat ut faciant præcepta sua eis, qui facere possunt & faciunt, & eos qui non possunt, imperando admonet à se poscere, ut possint*. Repetit eadem in libris de grat. & lib. arbitr. & de nat. & grat. sæpe.

GRATIA hæc vel proximè vel remotè sufficiens datur omnibus ratione utentibus. Omnes homines, ait l. 1. retr. c. 10. *Possunt si velint . . . quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. Idem jam ante dixerat l. 15. cont. Faust. c. 22. l. 2. contr. ep. Parmen. c. 14. *Serm. 78. tv. 14. in Joann. n. 2. demum in Pl. 49. n. 3. Deus enim, inquit, sonat ubique, tangendo . . . inspirando. Vocavit terram à solis ortu usque ad occasum, nullas relinquens partes quas non vocarit*.

88. De sigillatim infidelibus præter ea quæ adduximus, habet sequentiâ. De prædest. SS. c. 16. n. 32. *Vocat . . . Deus prædestinatos multos filios suos, non eâ vocatione quâ vocati sunt, & qui noluerunt venire ad nuptias: Illâ quippe vocatione & Judei vocati sunt, & gentes*.

DE EXCŒCATIS & OB DURATIS ISTA: *Quisquis in cæcitatem cordis datus fuerit nondum penitus ab interiore Dei luce secluditur cum in hac vitâ est*. In Pl. 6. n. 8. *Sanare Deus vult quemcunque peccatorem, quantumvis obduratum*. Serm. 351. c. 5. Non inficiamur tamen asserere multis in locis Augustinum in pœnam peccatorum præcedentium immitti certam quandam obstinationem & duritiem peccatoribus, subtractâ scilicet vel omni gratiâ dum non urget præceptum; vel proximâ saltem, cum urget; relictâ interim potentia, si non semper morali, certè physica.

PARVULIS quoque sinè baptismo decentibus sufficientia ad salutem dari media, patet cum ex iis, quæ de voluntate omnes salvandi attulimus, tum ex iis quæ habet l. 2. de nupt. & conc. c. 33. n. 57. *Parvuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? Et l. 3. cont. Jul. c. 25. Pro parvulis mortuus est Christus, quia & ad ipsos pertinet sanguis qui in remissionem fusus est peccatorum, à quo illos sanguine facitis alienos, cum eos negatis trahere originale peccatum*.

§. 4.

De gratiâ inefficaci.

89. **C**oncedi etiam homini lapsò gratiam, quam Scholæ vocant *purè sufficiens*, nemo ex Catholicis est, qui vocet in dubium. Luthero, Calvino, eorūque Sectariorum Jansenio, sufficeret sequentiâ ex Augustino loca in os impingere. L. 5. contra Jul. c. 4. n. 14. *Non omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt*. -- L. 1. simpl. q. 2. n. 13. *Nemo ergo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus*. -- Serm. 2. in Pl. 101. n. 6. *Vocata est Jerusalem & . . . noluit audire*. -- Serm. 1. in Pl. 113. *In sua ergo misericordiâ vocavit impios, & . . . iudicat eos, qui vocati venire noluerunt*. Idem ostendunt familiares toraliæ Augustino voces v. g. *Non respondere vocationi, contemnere vocantem, contemnere misericordiam, non obtemperare vocationi &c.* Omnes autem hæ formulæ loquendi supponunt vocationem, ac proinde gratiam; sed sine effectu, quia non responderunt vocationi peccatores. Fundamentum verò Jansenii, quàm cariosum sit & ex merâ libidine confictum, infra ostendemus.

GRATIA hæc purè sufficiens etiam simpliciter loquendo beneficium est. Hinc eam vocat *bonitatem, misericordiam, adiutorium, gratiam &c.* *Qui neglexerunt ejus bonitatem, experiantur in fine severitatem*: Serm. 149. c. 17. n. 18. *Sed observa nè multitudine misericordiæ Dei male utendo tu tibi thesaurizes iram*. in Pl. 102. n. 16. *Infideles non contemperantur adiutorio gratiæ*. L. 5. qu. supra Deuter. qu. 15. n. 4. &c. Et sanè hujusmodi gratiam beneficium esse quis neget? Confert enim veram bene operandi potentiam, quod autem non consentiamus, id enim verò nostra culpa est. *Jerusalem! Jerusalem! Quoties volui congregare filios tuos & noluisse!* Matr. XXII. 37. *Non omnes qui vocati sunt, venire voluerunt. . . . Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt: Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent vocati, erat in liberâ voluntate*. S. Aug. de qu. 83. qu. 68. n. 5.

§. 5.

De gratiâ efficaci.

90. **G**RATIAM intrinsecè & ex naturâ suâ efficacem neque ex Script. neque ex Conciliis satis probari posse ostendit jam olim P. Daniel in *Dissert. suâ de gratiâ efficaci*, Livinus de Mayer, & nostri Theologi passim. Nobis, quibus illius modò controversiæ arbitrum agere non vacat, ostendere hoc loco sufficeret, gratiam intrinsecè efficacem à S. Augustino nusquam fuisse pro-

pugnatam. Persuadent autem id nobis potissimum sequentia: 1. Si, inquit L. 12. de Civ. c. 6. Si eadem tentatione duo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret, quid aliud appareat, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Unde? Nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio? Ubi advertendum gratiam quæ hic respectu unius est efficax, si efficaciam haberet ab intrinseco, etiam futuram fuisse talem respectu alterius. Ponitur enim utrumque habere eandem tentationem, eandem gratiam, eandem corporis & animi affectionem. 2. Cujus autem misereatur, si eum vocat, quomodo sit ei congruere ut vocantem non respuat. L. 1. simpl. qu. 2. Quos ita vocat, quomodo eis aptum est, ut sequantur. Ibidem. Verum est ergo: Multi vocati pauci electi: Illi enim electi qui congruenter vocati: Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi non electi, quia non secuti quamvis vocati. Ibidem de Esau dicit: Si voluisset cucurrisset... addit deinde reprobum factum vocatione neglectâ. Quantum verò Deus se ad hominis voluntatem, & cetera adjuncta accommodet pluribus ostendit D. Chrys. in parabola de vocatis ad vineam. Vid. Hist. Theol. Lib. VI. n. VIII. 3.

91. GRATIA efficax non inducit nobis bene agendi necessitatem, cui resisti non possit: Quidquid in contrarium asserre ex pluribus locis conetur Jansenius. Audiatur ipse S. Doctor L. de nat. & grat. c. 65. n. 78. Ubi rem totam paucis ita conficit. Liberi enim, inquit, arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin, ubi necessitas, nec Corona est... in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est ebaritatis. Item L. cont. Fortunat. Disp. 1. n. 15. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate; bonum esse, oportebat, ut Deus animæ daret liberum arbitrium. Denique dum de gratia perseverantiæ Ecclesiæ in Sto. Petro concessa loquitur, eandem vocat: In fide liberam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem. De corr. & grat. c. 8. n. 17.

VIDETUR potius vis & energia illa gratiæ efficacis consistere in impulsu quodam voluntatem non irresistibiliter allicientis, & ut Augustini utamur phrasi: In auxilio quodam congruæ & voluntati attemporato. Sic L. de Spr. & Lit. c. 34. n. 60. ait: Viserum suasionibus agit Deus, ut velimus... nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est. Idem repetit L. 1. ad simpl. & 3. de Lib. arbit. Anima voluntatis arbitrio vel consentit visis, vel non consentit. L. 9. de gen. ad Lit. c. 14.

Quid quisque vel sumat vel respuat est in potestate, ut rationalis substantia sumat ex utroque quod voluerit, & ex merito sumendi vel miseria, vel beatitas consequatur. Lib. 3. de Lib. arbit. c. 25.

92. DELECTATIONEM quoque terrenam nullam nobis consentiendi inferre necessitatem perspicuum est, cum ex libris quos scripsit contra Manichæos, ubi doctrinam hanc vocat doctrinam malam, doctrinam impiam, Manichæorum immundissimam insaniam; tum etiam, ut alia omittamus, ex Sermone 128. c. 6. Ubi ait: At delectat adulterium? Contradicatur, resistatur, repugnetur: Non enim non habes, unde repugnes.

DE delectatione Christi idem prorsus sentit & Tract. 26. in Joannem n. 4. Jansenii hæresin his verbis facile jugulat: Traberis... non solum voluntate, verum etiam voluptate... si poetæ dicere licuit: Trabit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio, quantum fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum. Et in Pl. 50. Carnalis delectatio... ad illicita... progrediens frenanda est, non relaxanda, imperio domanda, non in imperio collocanda.

§. 6.

De Prædestinatione.

93. PRÆSCIENTIA divina rerum à nostrâ libertate pendendum est evitabilis & antecederet impediibilis. Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præservit; quod si noluit, utique non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præservit. L. 5. de Civ. c. 10. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt. L. 3. de Lib. arbit. c. 4. n. 11.

PRÆDESTINATIONEM Lib. de don. perserv. c. 14. ita definit August. hæc est prædestinatio, nihil aliud: Præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur... namque in suâ pergit. Ibid. c. 17. Quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare.

PRÆDESTINATIO non est ex prævisis meritis naturalibus, tanquam causâ morali movente. Patet id ex omnibus ferme libris quibus Pelagii dogma convellit.

PRÆDESTINATOS sive electos sic nobis describit L. 1. ad simpl. qu. 2. Illi electi, qui congruenter vocati: Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi non electi, quia non secuti quamvis vocati.

ITEM prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus. L. de don. perserv. c. 18. Quibus certè verbis nihil asserri posset ap-

positum magis ad explicandum nostrum de prædestinatione Systema.

QUODNAM apud Aug. L. de corr. & grat. c. 10. & 11. discrimen sit, inter auxilium quo & sine quo non, diu & acriter in Scholis disputatum est. Nos de celebri hac controversiâ ita statuimus.

94. AD concilianda duo hæc inter se capita, reliquæque Augustini principia cum ecclesiæ dogmate commodiorem nobis non videri viam, quam si dicatur: Discrimen inter adiutorium perseverantiæ sine quo non Angelis viatoribus, & primo homini ante lapsum quondam concessum, & adiutorium perseverantiæ quo quod modò datur prædestinatis in vitam æternam, in eo positum esse, quod præparaverit Deus adiutorium perseverantiæ sufficiens non ut efficiat sed ut sufficiat tantum. Adeoque cum tali indifferentiâ, ut idem eorum cuilibet largitus fuisset, si prævisum fuisset efficax, siue inefficax: His verò præpararet adiutorium perseverantiæ, non tantum ut sufficiat, sed etiam ut efficiat ita nimirum comparatus animo ut si adiutorium quod quilibet eorum non modò habet, prævisum fuisset in aliquo inefficax; non idem, sed aliud daturus fuisset, quod reapse prævidebatur futurum efficax. Videri etiam potest explicatio, quam loco huic adhibet Cl. Maffejus hist. Theol. Lib. XII. à n. V.

§. 7.

De libero arbitrio & hominis merito.

95. PERSEVERAT in homine lapsò vera, electiva libertas, non à solâ coactione, ut vult Jansenius, sed indifferentiæ. Quis nostrum dicat (sunt ejus verba) quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quippe (aliqua) perierit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam. -- Item: Esse autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis scripturis quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi vestri probò. L. 2. de act. cum Fel. Manich. c. 3. Alia quæ huc pertinent, jam tum quantum satis est, supra attigimus.

AD meritum & demeritum hominis lapsi necessaria est libertas immunis ab omni necessitate à creaturâ antecedenter non superabili. Animæ: si naturâ, non voluntate faciant, id est, si libero ad faciendum & non faciendum motu animi careant, si denique his abstinenti ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. L. 2. de anim. c. 12. Quæcunque igitur causa est voluntatis, si non potest ei resisti sine peccato ei ceditur. Quis enim peccat in eo, quod caveri

nullo modo potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest. L. 3. de lib. arb. c. 13. Si quidem animæ rationali, quæ est in homine dedit Deus liberum arbitrium: Sic enim posset habere meritum, si voluntate non necessitate boni essemus. Lib. cont. Fortun. Disp. 1. n. 15.

PECCATUM commissum ex ignorantia invincibili non est formale peccatum, homini in culpam imputabile. Non enim tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quævere quod ignoras. L. 3. de lib. arbit. c. 19. n. 53. -- Non... quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum, sed quod scire non studuit. Ibid. c. 22. n. 64.

96. NON omnis amor, qui non est actus charitatis perfectæ vitiosus est. Licita, enim inquit Serm. 349. c. 2. Est humana charitas, quæ uxor diligitur... licitam ergo charitatem habete? Humanâ est, sed ut dixi, licita est. Ibid. c. 7. Non dico ut non diligas uxorem, sed plus dilige Christum. -- Sic civis sanctæ civitatis Dei... secundum Deum viventes metunt, capiuntque, do'ent, gaudentque & quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent, metunt penam æternam... dolent in re, gaudent in spe. L. 14. de civ. c. 9. n. 1. 2. 3.

NEQUE omnis alius actus qui non est ex Theologicæ caritatis motivo continuò in inhonestorum censum referendus est. Quando molesta vitantur ut putores amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera & dura & gravia & commoditatis prævisio, non libido est voluptatis. L. 4. cont. Jul. c. 14. Nuptialis autem concubitus... causâ procreandorum filiorum per se ipsum proorsus... est bonus. L. de peccat. orig. c. 38. -- Est virtus animi res laudabilis: Prudentia bona & mala discernens; justitia sua uniusque distribuens, temperantia libidines cohibens, fortitudo molestias æquanimiter sustinens: Magna res, laudabilis res. Serm. 150. c. 8. n. 9. Hunc certe bolum, quicumque Iprensi de grege sunt, ægrè glutient, aut concoquent.

97. SINE gratiâ supernâ sanctificante potest fieri actus (et si non prout oportet ad salutem) bonus tamen in genere moris. Sicut enim non impediunt à vitâ æternâ justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vitâ non ducitur: Sic ad salutem æternam nihil proficiunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficile vitâ cujuslibet pessimi hominis invenitur. L. de Spirit. & Lit. c. 28. -- Etiam impiorum... quædam facta vel legimus vel novimus... quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam meritis rectèque laudamus. Ibid. c. 27. n. 48. Unde colligitur facillè quantum abfuerit sanctus hic Præsul à novatorum opinione, qui omnia infidelium opera judicant esse

Q 99 2

peccata. Imo novo id testimonio confirmat (Ep. 138. ad Marcell. c. 3.) cum ait: *Deus enim ostendit in ... præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine verâ religione virtutes.* Hujusmodi pariter sunt, quæ adfert Ep. 164. ad Evod. c. 2. & 217. ad Vital. Item in Lib. ad simpl.; de peccat. mer. & de civitate. Quæ omnia, nè nimium prolixi simus, consultò præterimus.

98. NEQUE auctum satis vidit Quesnelus cum legisse sibi in Augustino visus est, Judæis in Lege veteri (exceptis duntaxat Patriarchis, Prophetis, paucisque justis) necessariò contra legem peccasse ob deficientem Dei gratiam. Qui error ut apertius incurrat in omnium oculos, ipsius Augus-

tini verba non uno è loco deprompta subiciemus: In Pl. contra partem donati Column. 2. Lit. D. Tom. 9. Sic ait: *Certe & priores habebant Sanctos, sicut ostenderunt scripturæ: Nam & septem millia virorum Deus se dixit reliquisse. Et Sacerdotes & Reges, & multi justi sunt in lege: Ibi habes tantos Prophetas, habes multos & de plebe.* Et l. 3. contra 2. epist. Pelag. c. 4. n. 6. *Quis Catholicus dicat Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse? Deum in Pl. 77. n. 2. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non & populus? Imò verò etiam, qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adjuvabantur gratiâ, ut intelligerent, quod audiebant.* --

PARS III.

RECENTIORUM CONTRA GRATIÆ DOGMA ERRORES PROPONUNTUR, ET REFELLUNTUR.

CAPUT I.

REFERUNTUR SYSTEMATA HÆRETICORUM.

§. 1.

Systema Jansenii.

CORNELIUS Jansenius in Hollandiâ natus ad annum 1585. cum Lovanii Theologiæ dabat operam amicos sibi habuit Jansonium Belgam Præceptorem; & Vergerium Clericum Gallum, qui postmodum sub Abbatis Sancierani nomine magis innotuit. Docuere hi homines Jansenium, veram doctrinam de gratiâ usque ad Augustini aratrem, hoc est ferè ad finem Sæculi IV. incognitam fuisse; ab hujus aetate morte ita obscuratam, ut 500. ferè annis in Ecclesiâ repertus fuerit nemo, qui eam perfectè calleret; opus proinde fore, ut vir aliquis eruditus Augustini systema de gratiâ ex ejus operibus concinnaret, orbique Catholico proponeret. Hanc itaque sibi spartam ornandam sumpsit Jansenius; socium laboris habuit Jansonium, ac demum post impensam 22. annorum operam perfecit ingens ac celebre volumen illud, quod *Augustinus* inscribitur. Tomus primus agit de hæresi Pelagianâ: Alter de variis statibus naturæ puræ, innocentis, lapsæ &c. & tertius demum de gratiâ Christi. Summa autem totius systematis, & cardo in eo versatur; quod doceat: Omnem amo-

rem vel esse Dei, vel rerum aliarum à Deo: Priorem semper esse bonum, alterum semper malum; naturam autem humanam post lapsum Adami ex mente Augustini duci semper præponderante voluptate, amore, delectatione. Si major sit attentis omnibus dispositionibus amor seu voluptas prava seu terrena circa res creatas, necessariò sequi peccatum; si major sit amor, seu voluptas celestis circa Deum, consequi necessariò per Dei gratiam actum bonum; utrumque autem sine verâ libertate indifferentiæ; seu facultate ad utrumque ex oppositis. Quapropter sine Salvatoris medicinali gratiâ, & adiutorio (quod adiutorium est Sancta, & præponderans charitatis delectatio) nisi vires pristinae restaurantur tam est impossibile voluntati, ut bene velit, & operetur, & homini cæco, ut videat; vel surdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur; quamvis eis & lux & species, & scipiones, & omnia cetera sanitatis adjumenta suppetant.

Cum autem, quæ ex voluptate, ac delectatione fiunt, licet necessariò, tamen agantur ex inclinatione, propensione, appetitione, adeoque absque repugnantia, hanc libertatem à repugnantia seu coactione valde commendat, & sufficientem dicit

(1) Jans. l. 4. de grat. primis 11. capitibus. (2) l. 2. de gr. Chr. c. 1.

In actibus moralibus internis, nihil insuper laborans delibetate indifferentiae: Sed non advertens hoc modo etiam bestias esse liberas, quippe quæ, quidquid appetunt interius, & necessariò, non repugnantes appetunt, non coactè, sed quodammodo volentes. Subversâ autem hoc modo verâ hominis libertate sequitur, neque velle Deum sincerè salutem omnium; neque pro omnibus mortuum esse Christum. Quo fit ulterius, ut auferatur omnis sollicitudo bene operandi, & peccata defendendi, atque ita porro flagitiis omnibus via & aditus referentur.

Hoc autem Systema ut magis confirmet Jansenius, docet in eodem opere: 1. Quod delectatio illa cœlestis à paucissimis in hac vitâ sentiatur; ideòque omnes infideles, Judæi, hæretici, & Catholici repidiore, imò etiam iusti non prædestinati delectatione hâc in mortis articulo priventur. 2. Quod necessitas illa quam infert præponderans delectatio, non sit *absoluta*, & *totalis*; sed *relativa* & *partialis*; quatenus nimirum homo *gratiâ parvâ*, ut vocat, instructus possit quidem absolūtè sequi delectationem cœlestem; nisi adesset delectatio terrena præponderans; adeòque *relatè* ad illam necessitetur voluntas. *Partialem* autem hanc necessitatem vocat, quia non tollit omnem potentiam; licet omnem vincat. ¹ Duplici autem huic necessitati duplex pariter responderi potentia; *absoluta* nimirum, & *relativa*; quibus duobus vocabulis universi Systematis Janseniani fallacia regitur, & adversariorum vis eluditur. Si enim rogas an iusti impossibilia sint Dei mandata? Respondent, non esse impossibilia impossibilitate *absolutâ*; licet *relativâ*. Si rogas an possit gratiâ interiori resisti? Respondent posse: Scilicet quoad effectum ulteriorem quem habere potest, absolūtè, & non relativè. Si rogas, an à libertate excludant necessitatem? Respondent se excludere: At absolutam, & antecedentem; non relativam, & hypotheticam; item posse voluntatem resistere gratiæ, vel obtemperare, si absolūtè spectetur; non si *relativè*, hoc est, quatenus superior est oppositâ actuali cupiditate. Denique Christum mortuum esse pro omnibus, & Deum velle omnes salvos fieri; ob gratias illas parvas, & sufficientes, quæ quidem absolūtè possent homines ad salutem perducere; non verò relatè ad præsentem hominum dispositiones. Ex quo vides quàm facilè etiam solo *potentiæ* vocabulo imperitis fucum faciant, videanturque verbo idem docere quod Catholici, re ipsâ tamen aliud intelligentes.

Atque inde est, quod *potentiam absolutam*, quæ, ut ait Turnelius, ² *totius Systematis arcanum est, ac quasi nucleus, multis aliis nominibus idem planè significantibus involvant, ac implicent*. Recitat autem laudatus Author ³ eodem loco 15. diversas hujus vocis appellationes, quas operæ pretium est legisse. --

Duo autem potissimum infert Jansenius ex delectatione hâc suâ superiore, ac relativâ: ⁴ 1. Exclusionem gratiæ sufficientis. 2. Necessitatem operandi bonum sub motione gratiæ victricis. Nullum tamen ex hâc necessitate libertati humanæ periculum ait imminere; quia juxta ipsum omne id fit liberè, quod fit voluntariè, ac spontè; licet absit vera facultas ad oppositum.

Totum autem hoc Systema innititur tribus potissimum locis Augustini: *Primus* habetur in lib. de corrept. & grat. ubi Augustinus agit de distinctione adjutorii *quo, & sine quo non*. Hæc est, inquit Jansenius, ⁵ *Hæc est vera clavis, quâ aditus in scripta ejus (S. Augustini) aperiendus est. Alter* habetur in epist. ad Gal. 1. 5. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Hunc vocat Jansenius *clarissimum*, & *præclarissimum*. Tertiū demum extat in libro paulò ante relato: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*. Verum, quàm cariosa hæc & alia hujusmodi fundamenta sint, facilè ostendemus, ubi primum de Calvino quædam differuerimus. --

§. 2.

Systema Calvin.

CALVINUS de Divinâ gratiâ & libero arbitrio hominis docuit sequentia: 1. Homini nullum inesse liberum arbitrium ad bene operandum, fugiendumque peccatum. ⁶ Adhibet quidem lib. 2. & alibi quandoque vocabula *libertatis*, *electionis*, *voluntatis* &c. Verum quid per hæc intelligat perspicuè exponit alio in libro, ⁷ quando ait: *Si intelligatur per libertatem id, quod est oppositum coactioni, confitcor, & assero constanter, quod detur liberum arbitrium; & hæreticum censeo omnem, qui secus sentit*. En idem arbitrium, quod admittit Jansenius! Voluntatem verò *coactam* ⁸ vocat illam, quæ in hanc vel illam partem non sponte suâ nec interiore electionis motu inclinatur; hinc ait: ⁹ *Cor vestrum magis à motione divinâ dependet, quàm à vestrà electione*: Rationem attulit paulò ante: *Cor da enim proborum, sic efficaciter gubernantur diviniis, ut inflexibili affectu sequantur*. 2. Docet:

(1) vid. Illustr. Fenelonium. (2) de grat. Chr. Tom. 1. (3) m. p. 287. (4) Jans. l. 4. de gr. Chr. c. 10. (5) lib. de grat. primi hominis. c. 17. Tom. 2. p. 69. (6) l. 1. instit. c. 5. & l. 2. c. 2. & 3. (7) l. 2. contra Pighium. (8) l. 3. cont. Pigh. (9) l. 2. instit. c. 3. n. 11.

Concupiscentiam, ejusque motus primò primos seu indeliberatos verè esse peccata.¹ Rogatus tamen, cù voluntas per concupiscentiam ad peccandum, ut vult, determinata, adhuc dicenda sit libera? Respondet:² Cur? Quia delectatione & proprio appetitu movetur; hoc est eà libertate quæ etiam in brutis reperitur. 3. Homines merito Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinari;³ aliquos à Deo creatos esse, ut peccent, & damnentur;⁴ Deumque istius esse damnationis Authorem;⁵ imò authorem omnis peccati.⁶ 4. Gratiam operari impresso delectationis affectu; sublata facultate ad oppositum. 5. Duas illas delectationes gratiæ nimirum & concupiscentiæ variare in homine, ejusque voluntatem modò hanc modò contrariam in partem impellere; eamque variationem etiam in impiis, in ethnicis, & prædestinatis admittit. Ex quibus omnibus colligitur Calvini⁷ necessitatem æquè relativam esse, ac Jansenii, quia inducitur à gratiâ certis temporibus superiore; esse etiam *partialem*, quia non excludit voluntatis flexibilitatem; esse tamen re ipsâ *absolutam*; quia gratia illa per se ipsam efficax talis est naturæ, ut voluntas ei non possit, cùm adest, *dissonare si velit, eamque abjicere*; quod tamen requirit Tridentinum. --

§. 3.

Utriusque systematis falsitas. Variis propositionibus ostenditur.

PROPOSITIO I.

DATUR vera libertas indifferentiæ in homine; hoc est facultas expedita ad duo opposita, etiam post Adami peccatum.

CERTA aded & manifesta est hæc propositio è SS. literis, Conciliis, & Patribus, ut mirum sit, qui vocari ab hæreticis in dubium possit.

PROBATUR tamen primò ex Scripturâ: 1. Moses Deuter. XXX. v. 14. Cùm Dei mandata proponebat: *Testes invoco, ajebar, Cælum & terram quod proposuerim vobis hodie vitam & mortem . . . elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhareas.* Certè frustra hortaretur ut eligeret unum præ alio, nisi haberent facultatem ad utrumque. Eccles. c. XV. v. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te . . . apposuit tibi ignem & aquam ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: Quod placuerit ei, dabitur illi.* Isaias c. I. v. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: Quod si nolueritis . . . gladius devorabit vos.* Qui loquendi modus

apertè significat utrumque fuisse in eorum potestate. Neque enim dicimus seriò loquendo, homini cæco: Si videris; neque furdo: Si audieris, hoc feres præmium; si secus feceris subibis pœnam. Quare etiam Chrys. in hunc locum ait: *Si velle, aut nolle nostrum non esset, hoc est, si vivendi rectè, an secus libertas nobis adempta fuisset, nec bonus unquam Cæl. se munus perciperet, nec malus supplicium competens inveniret.* Augustinus autem quantus fuerit libertatis hujus vindex, patet legenti ejus librum *de grat. & lib. arbitrio*; & ea quæ ex aliis ipsius operibus adducit Cl. Maffejus hist. Theol. l. IX. à n. III. Suffragatur Chrysostomo, Augustino, ceterisque Patribus tam græcis, quàm latinis, Concilium Tridentinum, dum post Araficanum, Senonense, Valentinum & alia ita statuit sess. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit . . . anathema sit.* Plura videri possunt apud Petav. l. 1. de lib. arbit. ubi prolixè atque eruditè hæc de re disputat contra Calvinum. --

II. DEUS non modò omnibus bene vel malè operandi concessit facultatem; sed vult ut omnes eà rectè utantur, atque omnes demum salvi fiant.

PROB. I. Ex clarissimis Apostoli verbis:

1. Tim. 2. *Vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* 2. ex 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti.* 3. ex Ezechiele 18. v. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus? &c. Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Revertimini & vivite.* Neque obest, quod non omnes salventur: Duplex enim in Deo est voluntas: Una efficax & absoluta: Cujusmodi fuit voluntas condendi mundum. Alia conditionata ex parte objecti; qualis est illa, quæ vult salvare homines, posito, quod ipsis applicentur media ad salutem obtinendam instituta, vel utantur auxiliis gratiæ sibi oblati. Vocatur etiam hæc voluntas ab aliis *seria, antecedens, & subjectivè absoluta.* -- De priori voluntate dicitur: *Voluntati ejus quis resistet?* De posteriore loquitur August. cont. Pelagianos c. 33. cùm ait: *Vult Deus omnes salvos fieri &c. non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes justissime judicentur.*

III. HANC autem voluntatem seriam esse, quantum quidem in ipso est (ut inquit S. Paulin. ep. 2.) ostendit, dum Christus mortuus fuit pro omnibus.

PROB. Breviter ex Apostolo: *Unus Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,* 1. Tim. idemque confirmatur

(1) l. 3. c. 3. §. 10. (2) l. 3. (3) l. 3. c. 23. §. 2. (4) ibid. c. 21. (5) ib. c. 23. (6) l. 1. c. 18. §. 1. & 3. (7) l. 2. instit. c. 2. & 3.

ex eodem, epist. 2. Cor. 5. v. 14. & 15. ad Hebr. 2. v. 9. aliisque ex locis. Demonstratur itidem ex unanimi Patrum consensu, ut videre est apud Cl. Maffejum; ac demum ex propositione stâ Jansenii ac Ecclesiâ solenniter proscriptâ. Atque ex tribus hîsc assertionibus sponte fluit, præcepta omnibus servatu esse possibilia, gratiam sufficientem dari omnibus, gratiam efficacem stare cum libertate humanâ; neminem nisi suâ culpâ damnari, & alia plura hujusmodi. Verum ut hæc veritates adhuc clarius eluscescant, juvat quatuor aliis propositionibus easdem ostendere. --

IV. SENTENTIA Jansenii circa gratiam sufficientem, seu parvam, quæ plenum ac perfectum suum effectum non assequitur propter virium defectum, & potentie relativæ ad præsentis subjecti circumstantias erronea est, ergo rejicienda.

PROB. *Antecedens.* Repugnat scripturæ, Conciliis, Patribus, ac demum rationi, ergo.

PROB. *Antecedens.* Quoad primam partem. Deus ait Isai. 5. v. 4. *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? . . . expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Igitur dedit Deus omnia, quæ sufficiebant ad salutem; igitur gratia effectum caruit non ob virium & auxilii defectum, sed ob voluntatis Spiritui Sancto resistentis malitiam. *Vocavi & renuistis.* Prov. 1. v. 24. *Ferusalem quoties volui congregare filios tuos . . . & noluisti?* Inepta autem hæc fuisset admiratio, si defuisset aliquid ex parte virium, vel auxilii! Imò non defuisse quidquam, præter voluntatem consentiendi, disertè docet Apostolus ad Rom. 2. v. 4. & 5. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem divitiem tuam, & impenitens cor thesaurizas tibi iram!*

REPUGNAT etiam Conciliis: Arausicanum II. can. 25. ait: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Valentinum III. sub Lothario anno 855. *Nec ipsi mali ideo pereunt, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt.* Et omnium clarissimè Tridentinum sess. 6. c. 5. & can. 4. ubi affirmata auxilium gratiæ ita movere voluntatem ut dissentire possit si velit; & Divinam inspirationem abjicere. --

REPUGNAT Patribus; omnium sæculorum, qui veram in homine ad utrumque potentiam asserunt, impios reprehendunt quod non consenserint, &c. ut totâ ferè historiâ demonstrat Cl. Maffejus. Unum addamus ex Hieronymo & Augustino: O

infelicissimum, inquit Hier. in Pl. 140. Humanum genus! Qui peccata excusamus dicentes: Victus sum à naturâ; cum in potestate nostrâ sit, & peccare, & Domino adjuvante non peccare! August. 1. 2. de peccat. mer. c. 17. Sic ait: *Cum voluntate humanâ gratiâ adjuvante Divinâ sine peccato in hac vitâ homines possint esse, cur non sint, possem facillimè ac verissimè respondere, (non quia vires sufficientes non habent) sed quia homines nolunt.* Recole etiam quæ supra ex eodem attulimus de duobus hominibus eadem gratiâ præditis, & eadem tentatione pulsatis, quorum unus tamen tentationi resistit, alter consensit.

REPUGNAT demum rationi: Fieri enim non potest, ut gratia ad actum aliquem verè & completè sufficiens, relatè ad eundem effectum sit intrinsecè inefficax. Hoc ipso enim verè sufficiens dici non potest. Quis enim medicinam ad sanandum, cibos ad reficiendum; ignem ad calefaciendum sufficientem dicat, præter quem aliâ insuper re opus tibi est, ut sortiaris effectum. Adde. Quis unquam dicet nanum verè sufficientes habere vires ad superandum gigantem, militem unum ad integrum debellandum exercitum? Licet habeat vires quidem aliquas *absolutè*; nullas autem aut prope nullas relatè ad gigantem, & exercitum? Idem applica gratiæ parvæ Jansenii, & potentie ejus relativæ! Nec juvat eos hic recurrere ad *sensum divisum*; nam & nanus gigantem, & miles exercitum vincere potest, in sensu diviso. Sensum autem compositum requirit Tridentinum, ut patet ex vocabulo *dissentire*, *abjicere* & similibus. Non enim abjicio, quod actu non habeo, non dissentio nisi actu suadenti.

V. Vires & efficacia gratiæ repeti non debet ex delectatione superiori, seu per gratiam relativè victrice.

PROB. I. Quia sæpe ad bonum impellimur metu salutari, utique delectationi opposito, igitur non semper delectatione.

ANTECEDENS certum est ex scripturâ, quæ plurimis in locis nobis hunc metum commendat. Sic ait: Eccles. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Et Jerem. 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Certum est addò ex Tridentino, metum gehennæ salutarem esse pronunciantem adversus Lutherum, certum 3tò ex Augustino; cujus loca vide apud Maff. Hist. Theol. I. XIII. Ubi inter alia etiam advertit famosum illud axioma: *Secundum id operemur, quod amplius nos delectat*; verum non esse, si de præviâ, & indeliberatâ delectatione, ut Jansenio placet, intelligatur. Dese ipso enim testatur S. Augustinus 1. 8. Confess. c. 8. *Non faciebam,*

quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.

PROB. II. Si ex præponderante delectationis vi repetenda est efficacia gratiæ, gratia hæc non est ex se, & per se ipsam intrinsecè efficax, ut vult Janfenius. Quomodo enim à se, id est propriâ & internâ virtute efficax dici potest, si ejus efficacia ex opposita cupiditate majori, vel minori æstimanda sit? Virtus enim gratiæ ex sese victrix, & efficax, fatente Janfenio l. 8. de grat. Chr. *Talis esse debet, ut in quibuscunque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistendam.*

VI. DELECTATIO victrix Janfenii omnem evertit libertatem; & rationem peccati, & meriti.

PROB. prima pars: Delectatio enim, sive cœlestis, sive terrena necessariò ad unum extremum trahit voluntatem; eique adimit facultatem eam abjiciendi, ei resistendi, item eandem acquirendi, igitur tollit libertatem; antecedens certum est in principiis Janfenii. Sequela est legitima; si enim gigas nano viribus superior ipsi adimit potestatem absolutam resistendi, si integer exercitus militi, si pondus 10. librarum ponderi 5. librarum; si catena ligato, quidni & gratia hæc relativè superior homini? Quid enim juvat aliquas habere vires, si cum eo pugnandum sit qui multò habet majores, easque omnes exerit? Volens nolens vincetur à gigante nanus, ab exercitu miles. Nec ad rem est nos sponte facere, quod delectat; non coactè. Nam ad veram libertatem requiri veram etiam indifferentiam non tantùm judicii, sed etiam potestatis ad utrumque expeditæ adeò certum est ex SS. literis, Conc. Tridentino, & Augustino ut uberius comprobari vix egeat. Vide quæ hæc de re disserit Cl. Mass. *hist. l. IX. à num. III. & in Confirm. Respons. Cap. V.* Ceterùm si vincere delectationem malam non possit homo, quando abest major delectatio cœlestis, etiam imputari peccatum homini non poterit; quod enim evitare non possum, quomodo mihi id verteretur vitio? Nec laudi dabitur, ei si bene operetur: Quod enim necessariò facit, nec potest omittere, id nullam apud homines si sensum communem attendimus, laudem promeretur. Hinc rectè Augustinus, l. 3. de lib. arb. c. 1. *Motus, quo hic, aut illic voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostrâ positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.*

VII. SENTENTIA Calvini de prædeterminatione non modò falsa est & scripturæ contraria; sed & Deo summè injuria, &

blasphema. Quod falsa sit, & scripturæ contraria, probatur manifestè ex locis illis, ubi dicitur: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Convertimini ad me, & ego convertor ad vos, perditio tua Israel, & aliis hujusmodi innumeris.* Item ex omnibus illis, quibus probatur Christum orasse, & mortuum esse pro omnibus: Cujusmodi est illud 2. Cor. V. 24. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et alia plura quæ recenset Cl. Mass. l. 3. *hist. n. II. & l. 14. n. V. - l. 2. n. XI. 3. & l. 4. n. VII. 2.* quò, nè actum agamus, lectorem remittimus. Quod demum summa in Deum injuria sit, manifestum est vel ex eo, quod eundem faciat authorem peccati, & crudelissimo similem tyranno; qui eò conquereret homines, ut variis cruciet suppliciiis. Cœtera Calvinii dogmata de libero arbitrio, & gratiæ efficacie ita ferè cum Janfenii principiis consentiunt, ut uno confutato Systemate, aliud suâ sponte concidat. --

§. 4.

Ostenditur celebres quinque propositiones extare in Janfenio: Imò peiores quasdam extractis.

PROPOSITIO I.

ALIIQUA præcepta Dei hominibus justis & volentibus, & conantibus secundum præcepta, quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque illis gratia quâ possibilia fiunt. Extat ea apud Janfenium conceptissimis verbis, & quoad omnes apices l. 3. de grat. Christi c. 13. ubi ait: *Nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, execratis, obduratis, sed fidelibus quoque ac justis volentibus, conantibus, secundum præcepta, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam quâ fiunt possibilia.* Profectò non tam ovo ovum simile est, quàm iste locus propositioni damnatæ. Corollarium frustra novatores contendunt propositionem hanc de solâ impossibilitate morali, aut consequente intelligendam. Mendacii enim eos arguere facile est ex ipso Janfenio, qui non de morali, sed de Physicâ, & antecedente se necessitate loqui manifestè indicat, eum l. 2. de grat. Chr. cap. 1. ait: *Medicinali gratiâ & adjutorio* (de hac enim solâ controversiâ est) *nisi vires pristinae restarentur, tam est impossibile voluntati, ut bene velit & operetur, quàm homini cæco, ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto, ut gradiatur.* Quæ exempla omnium Scholarum consensu ut ostendit Illustriss. Fernelonius in epist. de grat. necessitatem indicant, physicam, absolutam, & antecedentem.

II. IN-

II. INTERIORI gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Variis illa è locis depromitur, & ad nauseam inculcatur. l. 2. de grat. Salv. c. 24. hæc habet. *Gratiam Dei Augustinus ita victtricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam NB. non posse resistere.* Atque ideo eodem libro c. 27. ait; *gratia in eo cui datur, semper operatur, & c. 25. gratia nunquam caret effectu suo.* Eandem aliis pluribus in locis crambem recoquit, puta l. 2. de grat. Chr. c. 4. Ubi referens discrimen gratiæ sanitatis, & gratiæ medicinalis, quæ sola hujus status propria est, hæc scribit: *Gratia sanæ voluntatis in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam si vellet deferret, aut si vellet, uteretur: Gratia vero læsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio . . .* atque paulò post de adjutorio quo (quo nomine ipse omnem gratiam medicinalem, quæ modò datur intelligit) loquens hæc adfert: *Tantiæ necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri; tantæque efficacæ, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat: Dat enim simul & posse & operari.* Et c. 24. altioribus adhuc canit tibiis. *Quod si quis adhuc inquit, luculentius naturam gratiæ medicinalis . . . intelligere debebat, videbit . . . talem . . . esse, quæ simul ac pulsat, rumpit ossia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistantiam, rapit eam secum, & ex invitâ voluntatem . . . ineffabili suavitate ac potestate facit.* Demum c. 25. ait, ex mente Augustini rectè inferri ex defectu operis, gratiam non esse datam . . . quod est perinde, ut ibidem se explicat, *ac si apertissime diceret (S. Augustinus) nunquam illa caret suo effectu; quam pestiferam, & ut Petavii utar verbis, Theologiâ Iprensi saturam, totque pontificiis sententiis multatam & ambustam sequelam nulla sana Catholica docet Dialectica.*

COROLL. I. Ex recitatis hic primo loco Jansenii verbis conficitur, tantum abesse, ut nimio in ipsius propositionibus rigore excerptis Romana sedes usa fuerit, ut potius mitiori multò, quàm merebatur ratione cum ipso egerit. Propositio enim ab Ecclesiâ rejecta dicit tantum: *Nunquam resisti*, Jansenius l. c. dicit: *Resisti non posse.* Quod certè multo plus est asserere.

COROLL. II. Frustra & hic ad molendas per necessitatem moralem quasdam voces, quas de necessitate, atque impotentia effutiit, recurrunt pravo magistro nè hilum meliores discipuli, ut ex iis, quæ in primam propositionem adnotavimus, aperitum est.

COROLL. III. Demum ex ultimo loco hic allato (ut reliqua non attingamus) evidentiissimè concluditur, damnatos, omnes-

que reprobos non suâ sed Dei culpâ æternis addictos fuisse suppliciis; quippe, qui, quod legem infregerint, eos tam acerbè castigat, nec tamen, unde observare ea possent, concessit; quâ blasphemiam nec ab ipsis quidem Manichæis excogitata pejor unquam fuit.

III. AD MEVENDUM & DEMERENDUM IN STATU NATURÆ LAPSE NON REQUIRITUR IN HOMINE LIBERTAS À NECESSITATE SED SUFFICIT LIBERTAS À COACTIONE. Hic maximè vocem tollunt sectarii, nescio quam in extrahendâ hæc propositione, impactam suo Coryphæo calumniam criminantes. Sed quàm vehementer fallantur, post recentita Jansenii verba brevi planum faciamus ratiocinio. Jansenius itaque lib. 6. de gratiâ Christi, c. 34. Sic ait: *Liberum arbitrium in omnibus sive beatis sive damnatis, sive viatoribus sive Deo sive creaturâ uniformem libertatis rationem obtinet, etsi difformem statum.* Hoc est, ut pluribus ex Jansenio ostendit Turnelius, uniformis est in omni agente libero formalis atque essentialis ratio libertatis, puta voluntarium deliberatum, tamen si necessarium. Necessitas autem varia est pro vario statu; immutabilis quidem ac perpetua ad bonum in Deo, Christo, & Beatis; immutabilis ad malum in damnatis; in hominibus autem in statu viæ adhucdum constitutis, non perpetua, sed mutabilis, jamque ad bonum jamque ad malum flexibilis; prout nempe delectatio jam Cœlestis jam terrestris relatè ad voluntatem superior, servum hominis arbitrium jam fursum jam deorsum impulerit. Subjungit quidem Jans. l. cit. *hominum viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis, voluntariæ, hoc est, ut lepidè exponit, ad utrumque indifferentem fatemur perlibenter.* At fallacem, quam hic sub verbis in speciem exquisitis sumit personam, mox ponit; dum quid apud ipsum libertatis nomine veniat, ita exponit. *Voluntas, inquit, ibid. c. 35. Hoc est volitio deliberata, quæ etiam certè in Sanctis & damnatis est, de quâ NB. solâ tractamus, se ipsâ libera est, & contradictionem implicat non esse liberam, quia fit, cum volumus, non fit cum nolumus; quod postremum, ut rectè advertit Illust. Camer. in ep. de grat. nemo sanus unquam in dubium vocavit Philosophus. Pejora adfert l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 24. Ino inquit, etiamsi . . . quemadmodum amor beatificus esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber.* Ejusdem sunt fursuris, quæ ad fastidium congerit. Lib. de grat. Chr. c. 6. & 34. & l. 8. c. 20. & l. 7. c. 3. Coronidis loco attulisse sufficiat, quod hic l. 8. c. 17. deblaterat. *Si etiam, ejus verba sunt, in hac vitâ Dei inspiratio tam stabiliter ac delictabiliter Deo operante inhaeret*

voluntati, ut eam non posset abjicere felicissimum, fortissimum, liberrimumque merito... esset arbitrium. Et l. 8. de grat. salv. c. 19. Nulla inquit, gratiæ efficacia, nulla necessitas (proinde nec Physica, nec Metaphysica) actibus nostris liberis formidanda est, sed sola coactio, & necessitas violentiæ. --

COROLL. Allatam itaque superius propositionem in Jansenio contineri hoc facile conficitur ratiocinio: Nulla juxta Jans. efficacia nulla necessitas actibus nostris liberis formidanda est, sed... sola coactio. Igitur ad peccandum sufficit sola libertas à coactione, & necessitate violentiæ. Subsumo: Atqui eadem libertas, quæ ad peccandum sufficit, hæc etiam sufficit ad acquirenda merita: Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quæ est ipsissima propositio damnata.

IV. SEMIPELAGIANI admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici; quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana resistere, vel obtemperare. Duas partes hæc propositio complectitur primam, quæ est historica, & alteram dogmaticam. Priorem itaque damnavit Romana sedes, ut falsam; posteriorem, ut hæreticam. Nunc quàm aptè utraque cum Jansenii mente conveniat videamus l. 8. de hæres. Pelag. c. 6. Sic loquitur: In hoc igitur proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primæviæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum; ita lapsus homo saltem credere posset si vellet. Et l. 2. de gr. Chr. c. 15. Prior (Massiliensium nempe) error erat, quod initium fidei, orationem, gemitus, desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est libero arbitrio proficere censerent, & tamen gratiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam; cuius influxus eorum libero relinqueretur arbitrio... supra tale patefecimus.

COROLL. Parum certe sibi constat Jansenius, dum, quam alibi tueri se falso proficitur libertatem, hic apertissime negat. Si enim ut ait loco relato, in eo proprie error situs erat Massiliensium, quod aliquid primæviæ libertatis reliquum putarent. Vera & sana Jansenio videbatur ea doctrina, quæ assereret nihil reliquum esse primæviæ libertatis. Unâ enim ex contradictoriis ne-

gatâ propositione aliam affirmari necesse est.

COROLL. II. Vel ex hac solâ propositione videas quam falsum sit Jansenium qui nil nisi Augustinum spirare videretur, hujus semper mentem assequi, aut doctrinam sequi. Quem enim in Augustini libris vel mediocriter versatum fugit, quâ in re Semipelagianorum error positus fuerit. Sufficiet legere caput 1. libri de prædestinatione, ubi gratulatur Massiliensibus, quod Prosperi & Hilarii ope è Semipelagianismo ad veram fidem reducti fuerint sic inquirens: Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra, ut credant cum Ecclesiâ Christi... ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum opus vel incipiendum (en Semipelagianismum) vel perficiendum (en Pelagianismum!) sibi quemque sufficere posse consentiant &c. Hunc certe in locum si diligentius oculos intendisset, non dixisset profecto, quod scholastici, dum eundem, quem hic Augustinus, Semipelagianis errorem tribuunt, nil aliud agant, tanto studio, quam tuta hæreticorum arma colligere, & absolute recudere.

V. SEMIPELAGIANUM est dicere: Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Hanc tradit Jans. l. 3. de grat. Chr. c. 21. Ubi hæc habet: Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit... & in fine ejusdem capituli. Tam vaga modernorum scriptorum, non alio ex capite, quàm ex istâ generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illâ sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesiâ velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.

COROLL. I. Ex hac ultimâ propositione vel solâ etiam liquet, quàm rectè in ipsius doctrinam cadat, quod, ut in Bullâ Unig. declaratur, doctrina ejus sit falsa, temeraria, scandalosa, impia, blasphema, & hæretica.

COROLL. II. Ex iis quæ de 5. istis propositionibus attulimus planum sit, non modò singulas in ejus libris haberi propositiones, verum etiam peiores sæpe, quàm illæ, quas ecclesiâ excerptit.

CAPUT II.

DILUUNTUR ARGUMENTA JANSENIANORUM.
QUIBUS 5. PROPOSITIONES VINDICARE
CONANTUR.

§. I.

Expenditur propositio prima.

OPPONIT I. Jansenius: Academia Lovanienſis, & Duacenſis reprobavit hanc Leſſii propoſitionem: *Fieri poſeſt, & de facto ſape fit, ut quis auxilium habeat præveniens omnino ſufficiens in genere auxilii prævenientis ad converſionem: Et tamen non convertatur, quia non vult.* Ergo nullum jam datur hominibus in ſtatu naturæ lapſæ adjuutorium ſufficiens, quin ſimil ſit efficax. -- Addit nec S. Thomam nec ullum antiquiorum Patrum meminiffe ulquam gratiæ ſufficientis.

R. Cenſuram hanc Lovanienſem tanquam iniquam à Sixto V. fuiſſe declaratam; ideoque revocatam; ut videre eſt in literis Sixti anno 1588. 10. Julii ex quo liquet, argumentum hoc obreſſe potius, quàm prodeſſe Janſenio. Quod addit de S. Thomâ aliſque Patribus, falſiſſimum eſt: Nam S. Thomas 1. 2. qu. 106. a. 2. ad 2. Sic habet: *Dicendum, quod gratia Novi Teſtamenti etiamſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut peccare non poſſit: Hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideo ſiquis poſt acceptam gratiam N. P. peccaverit majori penâ dignus eſt, tantum . . . auxilio ſibi dato non utens . . . quia lex quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. *Divinum verbum clamavit omnes ſimul vocans: Eos quidem vel maxime cognofcens qui non erant parituri: Et tamen quoniam eſt in noſtra poteſtate parere, & non parere, ut nulli poſſint cauſari prætextum ignorantiæ, juſtam fecit vocationem. Cui autem gratiæ non erant parituri? Certè ſufficienti, non efficaci? S. Cyrillus l. 1. in Joan. c. 11. *Mundus eum non cognovit ſic ait: Illuminat filius, repellit gratiam creatura . . . neglexit currere . . . ex deſidiâ, & contempſit hanc gratiam.* Non contempſit autem efficacem, ergo ſufficientem. S. Proſper. *Et quod à multis gratia reſutatur, ipſorum eſt nequitia.* S. Fulgentius, alter Auguſtini diſcipulus: *Homo . . . gratiam contumax atque in gratus oppugnat.* Utique non efficacem. De Auguſtino idem abunde oſtendit Cl. Maſſ. hiſt. l. XIV. n. II. 3. Et alibi ſæpe; recole etiam quæ ſupra attulimus de gratiâ ſufficiente Part. I. Diſſert. à n. 85.*

OPPONIT II. Gratia ſufficiens repugnat principiis Auguſtini de auxilio quo, & ſine quo non quæ rotius doctrinæ Auguſtini clavis, & ſilum ſunt.

R. ans. *Auxilium quo eſt gratia efficax, quæ datur in ſtatu naturæ lapſæ; & auxilium ſine quo non erat gratia ſufficiens, quæ dabatur Adamo: Ergo cùm auxilium quo ſit illa gratia, quæ modò datur, ſequitur quod gratia quæ modò datur juxta principia Auguſtini debeat eſſe non tantum ſufficiens, ſed efficax.*

R. n. ans. in prob. diſt. conſ. ergo *auxilium quo eſt omnis illa gratia, quæ modò datur N. eſt aliqua, ſcilicet quæ datur Sanctis ut cum illâ perfeverent C.* Quod etiam in ſtatu innocentie datum fuerit *auxilium quo*, patet in Angelis qui perfeverarunt. Auguſtinum hic comparat gratiam finalis perfeverantiæ quâ modò juſti in finem perfeverant, cum gratiâ Adamo conceſſâ etiam ut perfeveraret, ſed cum quâ ſua culpâ non perfeveravit. Quomodo bina capita libri de corrept. & grat. conciliari debeant, diximus Parte II. n. 94. Senſum aurem celebris hujus loci ſuſius exponit Cl. Maſſejus hiſt. l. XII. n. V.

INSTAT: S. Auguſtinus pluribus locis docet gratiam interiorem nunquam ſeungi ab effectu. Ergo non agnoſcit gratiam medicinalem purè ſufficientem.

R. ans. Hujusmodi loca ſunt: *Agis ſi ageris, & bene agis, ſi à bono agaris.* Serm. 42. de vert. Dom. 2. *Si omnis qui didicit à Patre venit, quiſquis non venit, profeſſò non didicit lib. de gr. Chr.* 3. De Tyriis in ſua infidelitate relictis ait: *Quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent erat eis negatum.* Lib. de bon. perf. c. 14. Quod idem eſt, ac ſi diceret: *Quoniam data non fuit gratia efficax, etiam data non fuit ſufficiens.*

R. I. Quod admiferit Auguſtinus gratiam purè ſufficientem, evidens eſt ex iis quæ diximus Parte II. n. 89. & demonſtrat Maſſ. hiſt. l. IX. n. IX. -- *Neque illi, ait S. Doct. de hominibus vocationem Divinam negligentibus, qui noluerunt venire debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quia ut venirent vocati erat in illorum poteſtate.* Si autem in illorum erat poteſtate, ergo habebant gratiam ſufficientem, non tamen efficacem, quia noluerunt venire. Ex his pa-

ter responsio 2da. Scil. S. Augustinum in lo-
cis adductis loqui de vocatione efficace,
non sufficiente. Agis nempe si ageris effi-
caciter: Venit quisquis didicit efficaciter.
Ad 3tium sensus est: Tyriis negatum fuisse
gratiam efficacem in actu secundo, unde
actu crederent; non tamen defuisse proxi-
mè vel remotè sufficientem.

OPPONIT III. Huiusmodi gratia non
erit beneficium; imò posset eam meritò
deprecari homo, quia, cum illà nunquam
conjungetur actus. Igitur est *monstruosa* quæ-
dam gratia, uti eam vocat pluribus locis.

CONFIRM. Sine gratiâ ad bene operan-
dum necessariâ non datur gratia ad bene
operandum sufficiens, ut patet: Sed gra-
tia efficax est ad bene operandum necessâ-
ria; quia sine illâ nunquam agitur, ergo
omnis gratia sufficiens debet esse efficax.

R. Dist. ant. huiusmodi gratia non esset
beneficium, si spectetur secundum suam
præcisè entitatem N. si spectetur ut ineffi-
cax, seu ut involvit negationem consensûs
C. priorem autem partem concedit Deus,
veramque per ipsam homini potestatem
largiendo cerro confert beneficium: Poste-
riorem verò partem suo vitio addit crea-
tura. Ad Confirm. R. hoc argumento pro-
bari nō Adamo quidem datam fuisse gra-
tiam sufficientem, quod est contra Janse-
nium.

R. 2. Sine gratiâ antecedenter, & per
modum principii necessariâ, vel per mo-
dum alterius conditionis se tenentis ex par-
te actûs primi proximi, non datur gratia
sufficiens C. sine gratiâ necessariâ comitan-
tes, & per modum actualis cooperationis,
non datur sufficiens N. & similiter distinc-
ta min. nego consequentiam. Gratia enim
in actu secundo efficax quâ talis non ante-
cedit nostram operationem, sed comitan-
ter se habet, estque in potestate hominis
gratiam in actu primo efficacem, sive suf-
ficiensem habentis, eandem per suam coo-
perationem reddere efficacem in actu se-
cundo.

INST. Ergo posset homo se ipsum dis-
cernere, & sibi tribuere, quod consentiat;
non gratiâ: Quod est contra Apostolum
dicentem: *Quis te discernit? Quid habes,
quod non accepisti?*

R. Ergo posset se discernere in actu pri-
mo id est mereri vel procurare hanc po-
tius quàm aliam gratiam N. in actu secun-
do, subdist. adæquatè & principaliter N.
in adæquatè & minùs principaliter, quate-
nus ipse liberè consentit C. Interroganti
itaque *quis te discernit?* Respondere debe-
ret cum Apostolo: *Non ego, sed gratia Dei
mecum.*

OPPONIT IV. Gratia sufficiens repug-
nat precibus Ecclesiæ, quâ petit, non ut

possimus tantum facere, sed ut re ipsâ ve-
limus & faciamus.

R. 1. Gratia sufficiens ut sufficiens est
repugnet precibus Ecclesiæ N. ut purè suf-
ficiens est, hoc est, ut includit negationem
consensûs C.

R. 2. Etiam Ecclesia orat, ut Deus fruc-
tus terræ dare & conservare dignetur. Et
tamen agnoscit etiam beneficium esse dare
fructus; licet non conservet. Sic etiam li-
cèt petat, ut non tantum det posse, sed &
agere; tamen agnoscit etiam beneficium
conferre illum, qui dat posse. Qui enim ma-
jus petit beneficium, non continuò negat
beneficium esse id, quod minus est.

CAPUT II.

Expenditur propositio secunda & quarta.

ARGUMENTA quæ Jansenius ex Augu-
stino ad tuendas has propositiones
congerit, revocari commodè possunt ad 3.
classes. Ad primam pertinent ea testimo-
nia, quibus affirmat sine delectatione vo-
luntatem moveri non posse. Ad secundam,
quibus asserit Christi gratiam Cœlestem ef-
ficacem ac victricem delectationem. Ad 3tiam,
quibus docet delectationem ideo victricem
esse, quia major est delectatione opposita;
ideoque hominem operari secundum id,
quod magis delectat. Quæ ad primam clas-
sem pertinent intelligenda sunt de delecta-
tione non indeliberatâ, ut vult Jansenius,
sed deliberatâ; quæ ad 2dam spectant, in-
telligenda sunt de eadem deliberatâ delecta-
tione, ordinariè & passim, non tamen sem-
per, *diversis enim & innumerabilibus modis
Deus homines ad se vocat, & reformat*, in-
quit idem Aug. lib. de corr. & gr. c. 3. Vel
si agar de delectatione indeliberatâ, non ta-
men intelligit necessitantem, qualem tue-
tur Jansenius, sed invitantem, allicientem.
Quæ ad 3tiam referuntur explicari pos-
sunt de delectatione vel habituali gratiâ
sanctificantis, ut loquitur I. de contin. c. 3.
I. de spir. & lit. c. 29. Vel de actuali deli-
beratâ, quæ oritur ex electione & deter-
minatione voluntatis, secundum quam ait
necesse esse ut operemur, necessitate scilicet
consequente determinationem volun-
tatis quæ in objecto sibi placet, eique ad-
hærescit; non tamen adhæresceret, si vel-
let. Uti colligitur ex I. 2. de pecc. mer. c. 17.
ex I. 2. contra Faust. c. 28. ex expos. epist. ad
Gal. &c. Vel etiam quandoque de delecta-
tione indeliberatâ gratiæ prævenientis, non
tamen necessitante. Quarum explicationum
ratio petenda est cum ex definitionibus Ec-
clesiæ, cum ex universo Augustini syste-
mate, locisque variis inter se collatis. Cum
tamen quandoque occurrant verba quæ-

dam, quæ à reliquo contextu avulsa plus aliquid difficultatis præferant, quid ex præcipuis ejus libris hæc de re conscriptis obmoveri possit, breviter videamus. --

OPPONIT itaque solet i. locus ille Augustini in ep. ad Gal. *quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Quem locum Jansenius vocat clarissimum, & præclarissimum. Sed

R. Ita operamur supposita electione ac determinatione voluntatis C. hæc non supposita N. loquitur hic S. Doctor de delectatione actuali & deliberata, quæ voluntas unum bonum præ alio eligit; sensusque est; quemvis conformare actiones exteriores affectui interno; sic avarus inhiat opibus, Epicureus voluptatibus &c. *Unusquisque enim, ait Aug. operatur prout affectus est.* Cæterum, non posse id intelligi de delectatione indeliberata, inde probatur, quod certum sit juxta Augustinum, nos hanc non necessarium sequi. Nam tr. 26. in Joan. ait: *Pater docendo delectat, non necessitatem imponendo.* Item de se ipso fatetur c. 8. conf. *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.* --

INST. S. Aug. hic adducit hoc exemplum: Si quis videt mulierem formosam, excitatur ad delectationem impuram: Sed si objicitur pulchritudo & dignitas castitatis, quæ venit per gratiam ex fide, secundum hanc vivimus, &c. . . . operamur atqui hæc est delectatio indeliberata, ergo.

R. DUS hic intervenire delectationes; unam indeliberatam, quæ nihil est præter species objecti in phantasia recepta; aliam deliberatam, quæ propriè dicitur delectatio. Delectari enim est gaudere de re aliqua propter voluptatem, quam sentimus. De delectatione autem improprie tali loqui Augustinum qui probat Jansenius, dum ex toto contextu colligitur contrarium? Ait enim, hominem excitari ad delectationem per primam cognitionem objecti; adeoque pro priori esse delectationem aliam quàm ad secundam excitamur. 2. Ait hanc delectationem in bono esse *justitiam eorum*, id est esse bona hominum opera, ac proinde deliberata. Quærit item quid sit trahi, & delectari voluntatem, & respondet: *Amando trahitur*, id est delectatur dum amat.

INST. 2. Augustinus per delectationem intelligit delectationem gratiæ prævenientis.

PR. ant. l. 2. de pecc. mer. ait: *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Eodem libro ait: *Deum etiam Sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis esse lucem, quæ illuminentur tenebræ*

eorum, & suavitatem, quæ de fructum suum serva eorum. l. 2. c. 9. Atqui hic Sermo est de gratiæ præveniente, & delectatione celesti indeliberata.

R. DIST. ant. aliquando per delectationem intelligit gratiam C. semper N. nusquam autem per delectationem indeliberatam intelligit aliquam, quæ necessitet. Unde dist. etiam probat. Deus dat delectationem victricem ex se, & necessariò N. victricem in circumstantiis, quibus homo prævisus fuit liberè consensurus C. ubi adverte, non in eo positum esse errorem Jansenii quod velit actionem quandoque fieri ex delectatione victrice; sed in eo maximè, quod contendat delectationem pro superioritate graduum esse pondus unicum, quo voluntas ad actum invincibiliter determinatur; ita ut ex eo præcisè delectatio sit victrix, quia superior est & major oppositæ delectatione concupiscentiæ; & delectatio gratiæ parvæ idcirco sufficiens non sit, quia minor actu concurrente concupiscentiæ. Ita ferè Turnelius de gr. Chr. m. p. 420.

DEMUM, nè prolixiores simus, adverti à lectore volumus, totum Jansenii de delectatione relative superiore, & victrice convelli, ac subrui solo illo loco Augustini de Civ. D. l. 12. c. 6. Cujus jam sæpe mentionem fecimus. Ponit enim ibi S. Doctor duos homines animo & corpore æqualiter affectos, eadem temptatione ad fornicationem allici, ac proinde æqualem sentire delectationem; & tamen unum consentire, alterum resistere. Quare? Non certè ob delectationem superiorem in uno, quàm alio, quia ponitur esse *æqualis* in utroque; sed quia, ut ait ibid. S. Aug. *unus bonam, alter corruptam habet voluntatem.* Et paulò post: *Quia unus voluit, & alter noluit consentire.*

Nec juvat dicere: S. Augustinum loqui hic de statu innocentie. Id enim falsum est: Loquitur enim S. D. contra Manichæos, qui dicebant in statu naturæ lapsæ duo dari principia, bonum unum, & aliud malum, & voluntatem malam ab eâ inspirari naturâ, quæ bonum velle non potest. Contra quos ibidem ait Aug. naturam nostram licet ad malum proclivior, & debilior sit, quàm natura Adami, tamen bonam adhuc esse, & dignam creatore, quia potestatem habet resistendi delectationi illicitæ. --

Expenditur propositio tertia.

OPPONIT I. Jansenius. l. 3. de stat. nat. lapsæ. c. 3. Divus Augustinus sæpe docet arbitrium voluntatis post peccatum ex libero factum esse servum; nec posse in hac servitute ullo modo suis viribus, id est sine gratiâ, à compedibus, quibus vinctum est, exui, ut, respiret in libertatem. Ergo

Rrr 3

periit libertas indifferentiæ. Adducit ad hoc probandum aliquot ejus testimonia ex l. 2. de nupt. c. 3. & 8. ex l. 3. ad Bonif. c. 8. ex lib. de spir. & lit. c. 30. &c. Eodemque argumento utitur Lutherus in lib. de Servo arb. & Calvinus l. 2. instit.

R. AMISIT homo libertatem à necessitate, quæ indifferentiæ opponitur N. libertatem à servitute, & captivitate peccati, (vi cujus magis in peccatum inclinat nisi per gratiam juvetur) Conc. de hac postremâ loquitur S. Aug. Hinc ait: *à quo quis devictus est, huic servus addictus est.* Neque possumus illam libertatem recuperare nisi per Christi gratiam juxta illud Christi: *Si vos filius liberaverit tunc verè liberi eritis.* Atque ita etiam accipienda sunt verba Augustini, quando ait op. imp. l. 3. Naturam per gratiam liberari ut in locum suum redeat hoc est, ut explicat Illustriss. Fenelonius, naturam post peccatum magis propendentem in peccatum, per advenientem gratiam in perfectio rursus, ceu balancem aliquam, æquilibrio constitui. -- Neque obest, quod non possimus sine gratia evitare malum, id enim nec Adamus potuit, & tamen habuit veram libertatem indifferentiæ.

OPPONIT II. *ibid.* c. 4. Homo per peccatum originis planè subjectus fuit dominatui concupiscentiæ, & diaboli regentis eum prout vult. Probat id ex epist. 89. D. Augustini ex serm. 12. de verb. Apost. ex l. 3. de lib. arb. c. 10. &c.

R. UT ante, ita fuit subjectus ut amiserit libertatem indifferentiæ N. libertatem illam perfectam, quam habebat Adamus C. audi Augustinum l. 1. ad Bonifacium. *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum ejus arbitrium? . . . Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, & perfectum concupiscentiæ dominium.* Atque ex hoc loco solvuntur omnia, quæ ibid. cap. sequente operosè ex Augustino congerit Jansenius. --

OPPONIT III. c. 6. S. Augustinus in expos. quarundam propos. epist. ad Rom. Quatuor distinguit status naturæ; scil. ante legem, sub lege, sub gratiâ, in pace. Ante legem, ait, sequimur concupiscentiam carnis. Sub lege trahimur ab eâ; sub gratiâ nec sequimur eam, nec trahimur ab eâ. In pace nulla est concupiscentia carnis. Item lib. 83. qu. 66. Sub lege prohibemur à peccato, & tamen consuetudine victi peccamus &c. Quando jam firmissimè credimus liberatori nostro . . . jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ &c. Ergo ante infusam gratiam victricem cupiditatum, imò magis ante infusam fidem & caritatem nulla superest in voluntate potestas ad bonum.

R. SENSUS Augustini in locis allatis est, quod in statu ante legem & sub lege magis dominata fuerit cupiditas; quia ante legem minor erat cognitio peccati, & sub lege minus gratiæ, hoc est sufficiens quidem, sed non ita abundans ac valida ad resistendum, quàm est modò in lege gratiæ. Fundatur hæc responsio in binis principiis quæ certa sunt apud Augustinum: Primum est: Quod non sit præceptum ubi non est libertas; alterum quod non sit peccatum ubi non est cognitio, & libertas. *Quomodo inquit jubet Deus si non est liberum arbitrium?* Jussit autem plurima in Testamento veteri, ergo fuit libertas. Et alibi: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potest?* Atqui sub lege peccarunt homines, ergo habebant libertatem cavendi. --

OPPONIT IV. cap. 7. Gratia juxta Augustinum confert libertatem, ergo sine gratiâ non datur libertas; ac proinde in infidelibus ante gratiam fidei non est libertas pr. ant. ex Aug. l. de spir. & lit. c. 30. *Utriquid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbiere antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? . . . Ubi Spiritus Domini ibi libertas, si ergo servi sunt peccati (hoc est, concupiscentiæ dominantis) quid se jactant de libero arbitrio?* &c. Fit autem hæc liberatio, quando voluntas, cui ante dominabatur concupiscentia, sibi subijcit concupiscentiam opitulante gratiâ; & majori delectatione justitiæ vincit delectationem concupiscentiæ, uti affirmat S. Doctor l. 1. ad Bonif. c. 10. & l. 1. de nupt. c. 12.

R. LIBERTAS arbitrii non in eo consistit, quod possit voluntas sine gratiâ velle bonum sicut oportet; sed quod positis omnibus ad agendum necessariis possit agere, & non agere. Sicut habere potentiam videndi non est posse videre sine lumine; sed habere oculos, quibus posito lumine, aliisque adjumentis necessariis videamus. Datur itaque ante gratiam libertas saltem physica in homine ad bonum & malum; gratia tamen potentiam hanc reddit completam, & magis expeditam; facitque ut homo mereatur, & tentationes graviores, quibus aliàs facilius succumberet, vincat, & cupiditates coërceat: Quare liberari per gratiam dicitur primò, quia per illam è captivitate diaboli & peccati transfertur ad statum gratiæ. Secundò, quia per gratiam vincuntur graviores tentationes, quibus passim succumbunt peccatores, utpote majoribus gratis destituti, quæ conferuntur justis intuitu gratiæ sanctificantis, ut docent T. T. Duplicem hunc liberationis modum expressit Aug. l. 2. op. imp. his verbis: *Alia est remissio peccatorum in eis, quæ malè facta sunt: Alia charitas, quæ facit liberum*

berum ad ea, quæ bene facienda sunt. Utroque modo liberat Christus; quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem. —

OPPONIT V. Cap. 5. Augustinus in lib. de duab. anim. c. 11. sic definit peccatum: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Hanc autem definitionem l. 1. retr. c. 15. restringit ad solum peccatum Adami, ergo jam non datur amplius libertas abstinendi à peccato, quando deest delectatio cœlestis relativè superior.

Px. ant. hic, inquit, peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pena peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine. Et infra. Ait non definiri hic penam peccati, quia perit libertas non peccandi; à quo malo nos liberat ille cui . . . d. cimus, dimitte nobis &c.

R. DEFINIT hic solum peccatum Adæ N. illud præcipue, utpote liberrimum C. patet veritas responsionis ex iis. quæ subjungit. Ait enim tria hic distinguere posse, nimirum peccatum, penam peccati (hoc est mortem & cruciatum, & utrumque (hoc est motus concupiscentiæ indeliberatos, & originale.) Primo modo ait peccatum definitum est, non pena peccati, non utrumque. Pergit: Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo modo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere: Sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo conditus erat rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Unde & ultimum membrum distinguo. Perit libertas non peccandi peccato strictè sumpto N. minus strictè h. e. pro originali, vel pro moribus indeliberatis concupiscentiæ accepto. C.

OPPONIT VI. Cap. 11. & 12. Cùm Julianus agebat: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum* Augustinus eum reprehendit & infert: *Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle.* l. 1. op. imp. Conf. Aug. l. de perf. justit. ait: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Ergo Augustinus non admittit facultatem ad utrumque in statu naturæ lapsæ.

R. Iustum reprehendit Augustinus, quod ita definiret libertatem naturæ lapsæ præcisè N. libertatem generatim, prout convenit Deo & creaturis C. quia libertas generatim accepta, prout abstrahit à Deo, & à beatis, & à viatoribus, satis habetur per hoc, quod possint agere hoc vel illud bonum, item omittere bonum non moraliter necessarium; ejusmodi libertas est in Deo, & beatis: In dæmonibus autem sufficit li-

bertas saltem physica abstinendi à malo, licet juxta communem Theologorum non possint facere ullum opus bonum. Ad Confirmationem. R. per peccatum intelligi motus concupiscentiæ indeliberatos ortos ex originali, quos impedire non possumus. —

OPPONIT VII. Ex lib. de grat. & lib. arbit. varia. *Deus dominatur voluntatibus.* 2. *Ille qui facit in Cælo, & terra, quod vult, operatur etiam in cordibus.* 3. *Omnipotens ipse usque ad eorum voluntatis motum efficit.* 4. *Deus inclinavit voluntatem Sem. i in peccatum.* Ergo Deus malitiam hominum non quidem efficit; sed applicat ubi, & quando vult per delectationem invincibilem: Sicut olitor, non facit aquas, sed eas tantum, quod ipsi lubet, laxat, & derivat.

R. Ad 1. Dominatur voluntatibus, quatenus media habet, per quæ infallibiliter consequatur effectum, quem vult. C. quatenus determinat ad bonum vel malum N. Ad 2. Operatur etiam in cordibus bonum C. malum, subdist. directè & per delectationem victricem determinando N. mediata, indirectè, & permittendo. C. Ad 3. Efficit voluntatis motum determinando N. vocando, quomodo scit congruere C. hinc c. 20. hic, ait: *Sic usus est Juda . . . sic usus est Judæis;* nempe ex eorum peccatis bonum eliciendo. Ad 4. Quod de Semei obicitur, ipse solvit Augustinus. dum ibidem addit: *Inclinavit in peccatum voluntatem Semei, quæ erat mala ipsius culpâ.* Deus enim (inquit c. 21) *malitiam voluntatum non efficit.*

PETES: Quomodo igitur Deus effectum, quem vult, consequitur? Audi respondentem Augustinum: *Deus potens est ad operandum in peccatorum usque ad eorum animis vel per Angelos bonos vel per malos, id est per suggestiones boni vel mali, ergo non per delectationem victricem.*

URGES: S. Aug. gratiam vocat efficacissimam facultatem, vires efficacissimas &c. *Deus facit ut faciamus &c.* 2. *Merita nostra sunt dona Dei, quæ coronat, ergo totum meritum gratia efficit.* 3. *Deus est causa meritum.*

R. Deus facit ut faciamus, determinando ad actionem N. præbendo vires efficacissimas voluntati C. has autem vires, & gratiam Illustr. Fenelonius comparat Spiritui cuidam, seu liquori forti, & acri, qui ægroto præbet vires satis validas ad surgendum, non tamen ad id determinat. Ad 2. & 3. R. tribui merita nostra Deo tanquam causæ principali, quæ vires & gratiam largitur. Sic etiam vulgo dicimus, hic Dominus meæ fortunæ unica causa est, quia nempe me juvit pecuniâ, autoritate, consilio. Non tamen idcirco excludimus nostram industriam, quam simul adhibuimus.

Deus perficit cooperando, quod in cepit operando, ait Aug. hic c. 17.

OPPONES VIII. Ex lib. de corr. & gr. ubi S. Augustinus c. 8. ita loquitur: *Ausine quis dicere, Christo pro Petro orante, ne deficiat fides ejus, illam deficere tamen potuisse, si Petrus eam deficere voluisset, id est si noluisset perseverare usque in finem? Quasi Petrus quodammodo aliud voluisset, quàm quod Christus rogabat Patrem, ut Petrus vellet? . . . Sed cum voluntas præparatur per Dominum, oratio Christi non poterat carere effectu . . . Itaque, dum Christus orabat Patrem, ne deficeret fides Petri, quid orabat, nisi ut Petrus in exercitio fidei haberet voluntatem liberrimam, generosissimam, invictissimam, & perseverantissimam? Ergo gratia dat homini libertatem, & animum insuperabilem. --*

R. 1. Si verba hæc in rigore accipiantur, sequitur Petrum, nequidem potuisse dissentire, si voluisset; adeoque liberum non fuisse.

R. 2. CHRISTO orante, ut Petro daretur gratia congrua, seu prævisa efficax, certè fieri non poterat, ut non daretur; hæc autem datà necessariò consentiebat Petrus, necessitate nimirum consequente; quippe quam ipse fecit, liberè consentiendo gratiæ, cui potuisset non consentire, si voluisset, itaque indirectè facere, ut hæc gratia nec prævisa fuisset efficax nec in his circumstantiis data fuisset.

INST. 5. Aug. hic c. 8. n. 6. ait: *Petrus non deficiisset, etiamsi voluisset fidem suam deficere, ergo non poterat resistere gratiæ.*

R. Ad hos & similes textus. Non deficiisset supposità Dei præscientià, quod non esset defecturus C. hæc non supposità N. necessitas hæc non est, nisi consequens. Fundat enim hanc totam necessitatem S. D. hic in præscientià Dei, dum ait: *Qui enim prædestinati sunt, atque præciti . . . eorum si quisquam perit, fallitur Deus: Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.*

INST. Etiam dicit quod oratio Christi effecerit in Petro voluntatem liberrimam, animosissimam, invictissimam, perseverantissimam . . . perpetuam delectationem cum anima, & fortitudine invincibili.

R. ITA ut Deus per gratiam modo, quo scit congruere concessam faciat voluntatem invincibilem tentationi C. ut faciat gratiam invincibilem voluntati N. dicit enim Aug. *voluntatem; non gratiam. Item voluntatem liberrimam.* Nunquam sanè dicit Augustinus, voluntatem non posse resistere gratiæ interiori, quia fortior esset voluntate. Sed Deo volenti salvum facere nullum hominum resistere arbitrium. Rationem adfert: *Quia præscientia Dei non fallitur.*

INST. At cap. 14. n. 45. dicitur, quod etiam non possint homines resistere gratiæ,

quæ est omnipotentissima potestas reclinandi voluntates, quò volet; & quæ intus agit & operatur, ergo etiam gratia interior est invincibilis.

R. Est invincibilis invincibilitate consequente, & ex suppositione scientiæ mediæ C. invincibilitate antecedente, & nullà factà suppositione N. vel est invincibilis, hoc est in his circumstantiis non vincetur C. non poterit absolute vinci N.

OPPONES ultimò cum Janf. ex lib. de corrept. & grat. c. 11. Prima gratia juxta Augustinum facit, ut homo habeat justitiam si velit. Secunda igitur est multò potentior, quia etiam efficit, ut homo velit: Sed ut velit tam vehementi voluntate & charitate, quæ vincat per voluntatem Spiritus voluntatem carnis sibi oppositam. Ibidem ait: Parum esse, quod secunda gratia repararet liberum arbitrium, & quod det simplicem agendi potentiam, nisi etiam efficiatur per illam ut velit; ergo gratia medicinalis distinguitur per hoc à primà, quod hæc semper sit efficax; illa non item. Ergo primus homo habuit tantum adjutorium sine quo non hoc est gratiam efficacem, quod adjutorium tum reliquit Deus hominis arbitrio; nos verò habemus semper auxilium quo, id est gratiam efficacem, quæ juxta Augustinum tollit indifferentiam arbitrii; quod sic ostenditur:

ADJUTORIUM sine quo non comparatur cibis à S. Doctore, sine quibus vivere non possum, licet illi non me cogant, ad vivendum, si eos capere nolum. Adjutorium quo comparat beatitudini, quæ homo continuo fit beatus. Deinde ibid. n. 37. ait: *Voluntas primi hominis eas habebat vires, ut perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio . . . sed nunc ex quo grandis hæc per peccatum libertas amissa est, nil remanet præter infirmitatem, quæ multo majoribus eget donis. Prima libertas erat posse non peccare: Novissima erit multò major, non posse peccare . . . bonum non posse deserre &c.*

R. AUGUSTINUS hic opponit inter se gratiam, quæ Adam perseverare poterat; & gratiam finalem quæ modò Sancti perseverant. Hæc de his loquor, ait, qui prædestinati sunt in regnum Dei: Hinc etiam adjutorium quo vocat ipsam perseverantiam, item donum, per quod non nisi perseverantes sunt. Duo autem in perseverante distinguuntur. Illud. Fenelonius, primo gratiam interiori, cui homo liberè consentit credendo, vel amando; & gratiam exteriori, nempe solutionem animæ à corpore; quam postremam hic propriè per adjutorium quo intelligi ait. Et sanè in hanc verisimè cadit, quod sit omnipotentissima potestas, quod non possit ei resisti, quod cum data fuerit,

fuerit, continuo homo fiat beatus, quod post hanc non possit amplius peccare, quod sit inamissibilis, quod ei nullum resistat arbitrium; quod sit ipsa beatitudo, quod sit mortis celerioris beneficium, finis, quo vita ista finitur &c. Adde, quod pueri qui ante usum rationis moriuntur, item prædestinati qui in somno tanguntur apoplexiâ, non habeant gratiam interiorē actualem, sed solam hanc exteriorē. Quæ etiam explicatio consonat cum principiis S. Thomæ dicentis *cont. Gent. l. 3. c. 155*. Liberrimum arbitrium non sufficit ad perseverandum sine exteriorē Dei auxilio, quia habitus gratiæ . . . nobis in hac vitâ concessæ non tollunt omnino mobilitatem versus malum; addit se non dicere, quod gratiæ interiori cui consentit homo, addi debeat alia interior; sed, quod præter illam ad perseverandum adhuc indigeat homo Divinæ providentiæ auxilio exterioris gubernantis. Et quæst. disp. qu. 23. de lib. arb. Ait bifariam accipi posse perseverantiam, scil. pro virtute speciali v. g. amoris, quem dependenter à gratiâ interiorē homo elicit; & pro circumstantiâ virtutis hujus, quæ est constantia ad finem vitæ. Et sic, inquit, perseverantia non est in potestate hominis habentis perseverantiam.

§. 4.
Expenditur quinta propositio.

OPPON. I. Concilium Valentinum III. celebratum circa annum 855. c. 4. Sic ait: *Illud fideliter tenendum ac docendam placet, quod pro illis datum hoc pretium (sanguinis Christi) quibus Dominus dixit . . . ex altari oportet fieri hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non peccet, sed habeat vitam æternam.* Non verò pro illis, de quibus dictum est per prophetam: *Ero mors tua d. mors* &c. Ergo Christus non est mortuus, nisi pro solis fidelibus, & prædestinatis.

R. Concilium loqui hic de morte Christi quoad efficaciam in actu secundo, & applicationem passionis, quam infideles suâ sæpè culpâ impediunt; non verò de illâ quoad sufficientiam, seu efficaciam in actu primo conjunctam cum intentione Christi eam, quantum de se est, ipsis nisi obstant applicandi. Atque ita etiam sæpè intelligendum esse S. Augustinum colligitur ex D. Prospero, optimo ejus interprete, ex quo etiam ubi respondet objectionibus Vincentianis, distinctionem hanc mutuari sunt T. T. Quare etiam ibid. cap. 1. ait:

Rectè dicuntur omnes redempti, & tamen non omnes à captivitate eruti.

OPPON. II. Janf. cap. 21. Non potest esse inanis oblatio, & oratio Christi, qui de se ipso dicit Joann. 11. *Ego sciebam quia semper me audis.* Ergo pro illis tantum mortuus est, quibus mors prodest; atqui non prodest infidelibus, ergo.

R. 1. Eodem argumento probare Calvinum, Christum mortuum esse pro solis prædestinatis.

R. 2. Non potest esse inanis oblatio, quando Christus habet voluntatem efficacem in actu secundo, & absolutam C. quando habet voluntatem non efficacem, sed per modum serii desiderii, objectivè tamen conditionati N. hanc autem conditionem cum homo suâ culpâ non impleat, non est cur suum Christo interitum adscribat.

R. 3. Profuisse etiam mortem Christi omnibus absolute, quatenus nempe ipsius intuitu plures jam omnibus conceduntur gratiæ, & auxilia ad salutem. Quanquam abundantiores impertiantur fidelibus. Hinc etiam ait: Apost. 1. Tim. 4. *Qui est salvator omnium, maxime fidelium.*

URGES. At dicit Christus Joan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* R. Ibi fermo est de peculiari oratione, quam Christus in hortu fudit pro Apostolis. Quod autem non tantum orarit pro ipsis, sed & pro ceteris fidelibus imò pro toto mundo, liquet ex v. 20. & 21. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Versu autem 21. orat, ut mundus credat, quia tu me misisti. Item ex tot aliis locis affirmantibus mortuum pro peccatis totius mundi. 1. Joan. 2. *Et gustasse mortem pro omnibus.* Hebr. 2. *Et dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus.*

URGES iterum: Matth. 26. Dicitur: *Hic est sanguis meus N. T. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

R. Pro multis hic significare pro totâ multitudine. Sicut etiam. Rom. 5. *Unus Adami peccato multi mortui sunt.* R. 2. Si strictius sumeretur, deberet intelligi de effusione quoad applicationem, & efficaciam in actu secundo. Atque hæc responsio pluribus aliis hujusmodi locis accommodanda est. Nec obest, cum quandoque dicitur mortuum esse Christum pro ovis, pro electis, pro fidelibus &c. Hoc enim sumitur positivè, non exclusivè. --

CAPUT III.

OSTENDITUR RECENTIORES CUM ANTIQUIS
HÆRETICIS CONVENIRE ET MORIBUS,
ET DOCTRINA.

Ex hætenus dictis apparet satis cuivis alieno à partium studiis animo, quàm longo intervallo Novatores secesserint à verâ Ecclesiæ, scholarum, Augustini, & quod inde consequens est; à communi Patrum qui primis sæculis floruerunt, sententiâ. Quàm accuratè enim Augustinus cum Patrum antiquiorum aut synchronorum placitis conspiret, demonstravit nuperrimè Illustr. Marchio Scipio Massæus histor. Theologicæ toto lib. 11. & 12. & ante ipsum non obscurè innuit Thomassinus, dum, quam tractatui 3tio de consensu scholæ præfixit præfationem, his auspiciatur verbis: *Ita mihi concordare visi sunt tum antiquissimi scholæ Theologicæ Antistites in omnibus, quæ ad gratiam Christi pertinent gravissimis questionibus, ut non vanâ hâc jamdiu spe me oblectaverim, fore, ut eorum omnium consentientem doctrinam brevibus his commentariis complecterer.* Quare prolata jam in medium S. Augustini (quem laudatus Author in proleg. Theologicis *Ducem* & *Authorem Theologiæ Scholasticæ*, simul & *Patriciæ* appellat) circa gratiæ doctrinam, sententiâ, dissolutisque hæreticorum sophismatibus reliquum videtur, ut porro per sequentes assertiones ostendamus, eos, quantum ab Augustino recessere, tantum ad veteres omnes hæreticos & morum, & dogmatum similitudine accessisse. Mentem hanc ingerit nobis eruditissimus M. Scipio Maffæus, cum libro VII. sub finem num. XVI. Has in eo voces legeremus ¹ *quam opportunum, & ad bodiernas disceptationes utile foret conferre inter se quandoque Pelagianam, & Quesnellianam causam: Nunquam enim tanta apparuit animorum consensio, nunquam tanta in disputando similitudo, aut in factis æqualitas, &c.*

§. I.

Conveniunt moribus.

ASSERTIO I. Prima & potissima fermè hæreticorum in eo fraus est posita, ut, à quâ alienissimi sunt animo, eam ore, saltem ac verbis præ se ferant sanctimoniam. Fraudem hanc in Marcionitis, Valentinianis aliisque hæreticis detexit, & cavendam præmonuit Origenes in Eze-

chiel. hom. 7. *Sollicitè caveamus hæreticos, qui conversationis optime sunt, nam... quomodo quasdam illecebras escarum micupes proponunt, ut facilius aves capiant sic &c.* Argumento sint Montanistæ, qui cum Gnosticos ob morum & doctrinæ spurciem omnibus horrore fuisse animadverterent, nil nisi jejunia, continentiam, martyria, & Spiritus Sancti crepabant charismata. Idem præstitere Encratitæ, qui ob temperantiam quam identidem jactabant, hoc sibi nomen apud vulgus conciliarunt ductâ à græcâ voce *ἐγκράτεια*, quæ continentiam significat, origine. Eodem modo Constantino, & Athanasio fucum fecit Eusebius Arianus, S. Paulino Vigilantius, Augustino, cæterisque Episcopis Africanis aliquantisper Pelagius, Zosimo Cælestius, & ut alios taceamus, Concilio Chalcedonensi tantisper Theodorus Mopsvestenus, & Ibas. Eandem nostrâ ætate cum scholâ suâ scenam denuò exhibuit Jansenius, ex cujus ore nil nisi gratiam celestem, charitatem Dei, delectationem, unctiorem spiritus & similia audire est; ideoque etiam, ac post ipsum Quesnellus multis in Galliâ Episcopis imposuit.

II. ALTERA fraus est dogmata sua, tanquam si *sacra bona Deæ* forent, clam, & nescio quibus in latibulis, auditoribus proponere. Norunt quippe nocturnis, & clandestinis istis in congressibus regi facile fucum, & pigmenta, quæ clara & publica lux facillè redargueret. Malè habuit Augustinum & Hieronymum ars illa clancularia Pelagio familiaris, hinc ad Æsiph. Hier. *Hæc, inquit, hæresis est, quæ publicè evulscit loqui, quod secreto docere non metuit.* August. l. de hæres. c. 70. ait Priscillianistas habuisse inter cætera & hunc canonem: *Fura, per jura, secretum prodere noli!* Ejusdem criminis reos agit Henricianos S. Bernardus. Paria de Calvinii discipulis prodidit Florim. Remund. l. 7. c. 15. cum ait: *Antequam discedant, omnes jurjurandum dant, se religionis hoc sue secretum nemini aperturos veterum hæreticorum exemplo, apud quos illud usitatum erat, jura per jura!* Idem dissertè confirmat luculento ab Hugonottis petito exemplo Fam. Strada de bell. belg.

(1) Quanto opportuno forebbe, e quanto utile il far quâ di man in mano un confronto della causa Pelagianâ, e della Quesnelliana. Non si vidda mai &c.

dec. 1. l. 3. dum ita scribit: *Cum autem hæretici, quorum complures tunc erant Casaroduni circa capomaria nocturnos cætus agerent, quoniam interdum non licebat, factum est, ut tanquam nocturni lemures digito monstrarentur pueris, atque ab Hugone Hugonotti per deridiculum vocarentur.* Nefas proinde duxit sibi Jansenii Sodalitium, si à receptâ hâc inter majores suos consuetudine vel latum unguem discederet. Hinc est, quod tot, privata inter se, ut Hieronymianâ utar phrasi, *tenebriones illi celebrarent conciliabula, adierint speluncas, cubilia, & lustra ferarum;* quod arcanis quibusdam notis Arnaldinæ factionis focii in scribendis literis uli sint, quod denique secretos quosdam doctrinæ canones concinnaverint, quibus, quod spargere publicè in vulgus non audebant, pestilens virus in fidas commilitonum suorum aures leni quodam susurro promerent. Quâ de re plura post elapsum Bruxellis è carcere Quesnellum, ex illius & Geberonii scriptis eruta ac publicis postea literis consignata sunt.

III. TERTIA est, suis mulierculas erroribus fascinare, & imbuerè. Has enim propinatum iis venenum, & facilius haurire, & tenacius continere, quotidianisque, ut fit, congressibus in reliquum vulgus spargere longo ipsi usu didicere. Prolixè eâ de re loquitur Hier. ad *Æsoph.* contra Pelag. ex quo aliqua tantum delibabimus. *Magus, inquit, hæresim condidit Helene meretricis adjutus auxilio; Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos; Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos animos præpararet, Apelles Philumenem suarum comitem habuit doctrinarum Montanus multas Ecclesias per Priscam & Maximillam. . . . primum auro corripuit, deinde hæresi polluit; Arius ut orbem deciperet sororem principis ante decepit, Donatus per Africam . . . Lucilie opibus adjutus est &c.* Præterit tamen hoc loco Hieronymus Paulum Samosatenum, qui Zenobiam teste Philastrio docuit judaizare. De Ario refert Epiph. *hæres.* 69. Septingentas ab eo Deo consecratas Virgines ab Ecclesiâ abstractas. Quantum earum muliercularum sub suâ disciplinâ habuerit Pelagius, docet Aug. l. 1. contra Pelagium. Idem de Luthero Cochlaeus, & de Calvino Florim. Ræmundus, & de Jansenistis præter alios celeberrimus ille libellus, cui nomen: *L'histoire de l'enfance de J. C.*

IV. QUARTA est: Hæreses à suâ diversas oppugnare strenuè. Ita constat gravi odio exaruisse Arium in Novatianos; Nestorium in Macedonianos, Quartodecimanos & Novatianos (teste Socrate l. 7. c. 29.)

Photium in suâ ætatis sectarios, quorum vestigia & proximis hisce temporibus presit Lutherus, cum scripsit librum de *Judeis & eorum mendaciis.* Item epistolam prolixam contra sabbatarios librum de cænâ Domini contra Zuinglium & Oecolampadium, alia item contra Waldenses, atque Hussitas ejusdem notæ opuscula, ut restantur in ejus vitâ Ulenberg, & Cochlaeus. Calvinus ne ab hoc hæreticorum more secessionem faceret (ut laudati ante Authores testes sunt) instructionem scripsit adversus Anabaptistas; instructionem *adversus fanaticam & furiosam sectam Libertinorum;* multa quoque in Valentinum gentilem debaterans; quem postremum dum apud Cardin. Turnonium sub id tempus accusaret Calvinus, ridens meritò purpuratus hic princeps, *hæreticus hic, agebat, hæreticum accusat.* E Jansenii demum scholâ et si plurimi defudarint in impugnandâ Bullâ *Unigenitus*, in tuendo silentio, ut vocant, obsequioso, in vindicando ab hæresicos labe Jansenio, in alliciendâ ad partes suas scholâ Thomisticâ, & aliis id genus, non defuerunt tamen, qui ex instituto, vel saltem ut dicitur *ex præceptis*, aliquid contra eum antiquiores, tum recentiores garrirent hæreticos quâ de re, is, cui vacat, adire poterit, *la Morale de Mr. Arnaud, le traité de la nat. & de la grace par Mr. Jurieu; instruct. gener. en forme de catechisme par Mr. Ch. Joach. Colbert. &c.*

V. QUINTA est: Censoriâ quasi virgâ hominum mores perstringere; abusus corrigere, opiniones laxiores proscribere, universamque Theologiæ & Philosophiæ de moribus doctrinam, à noxiis, ut jactant purgatam sententiis suo demum splendori restituere. Hinc in historiâ Eccles. nil adeo frequens & obvium est, quàm videre hæreticos pene omnes simul atque ab Ecclesiâ discessionem fecere, hoc continuo sibi sumere, ut velut totidem Heraciti eruditæ ad fletum oculis aliena tantum peccata deplorent, doctrinam, atque actiones hominum Rhadamanteam propè ad crisin vocent. Montanus quamprimum in errorem lapsus est, fastidire cœpit mores Ecclesiæ parum severos: Nec probavit unum tantum quot annis in quadragesimâ observari jejunium; Christianum mortuâ conjugem alteras cogitare nuptias, tam variè delinquentes ita promiscuè ad veniam admitti &c. Eusebiani post Arium, teste Baronio ad ann. 336. *se bonorum morum vindices præstiterunt . . . & Ecclesiasticæ disciplinæ custodes &c.* Itaque fraude Constantino imperatori imposuere, ut ipse apud Theodoret. *hist. Eccles.* l. 2. c. 29. testatur, ac deploret in epistolâ, quam dedit contra Eu-

sebiū, ac Theogni ad Nicomedienses. Parumne severus Pelagius? Quippe, qui articulo 6to à synodo Diospolitana confixo docuit: *Divites baptizatos, nisi omnibus renuncient . . . habere non posse regnum Dei?* Plura de ipso & Novatianis adfert Hier. l. 3. cont. Pelag. quæ omnia recensere longum foret ad recentiores veniamus; omnium instar sit Lutherus & Calvinus. Quid enim aliud in scriptis suis ubique crepant, quàm depravatos Ecclesiæ mores, corruptum clerum, adulterata Theologorum dogmata, omniæque in præsentem abitura perniciem, nisi quales ipsi se profitebantur, reformatores quidam existerent, instaurarentque ea, quæ ruinam meditarentur, omnem à moribus & dogmate fuliginem abstergentes. Hinc Erasmus Lutheri causâ, cum ad moguntinum præfulem scriberet, his egit verbis: *Paulatim, inquit, evanescebat vigor Evangelicæ doctrinæ, & futurum erat, ut rebus semper in deterius prolarentibus, tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christianæ pietatis . . . Hæc suspirant, ac deplorant boni viri!* Mira quoque hoc in genere sibi finxerunt somnia Anabaptistæ, qui, ut author est Zuinglius, talem sibi Ecclesiam imaginabantur; talemque se constituere posse sperabant, qualem Christus in cælis habet, & habiturus est, omnis peccati & labis expertem. De Jansenii porro colluvie quid attinet dicere? Sufficit vel primoribus attigisse digitis *Augustinum Jansenii, reflexiones morales Arnaldi, opera Quesnelli, literas provinciales*, quæ tantum in Galliâ fecere strepitum, atque egregiè demum fuerunt confutatæ, à P. Daniel nasutulis hisce hominibus offerente dignum patellâ operculum.

VI. SEXTA est: Scripturas sacras suis erroribus obtendere. *Vino venali*, ut proverbium habet, non opus est hederâ; at monstrosi hæreticorum partibus indumento quodam, & ovinâ, ut Evangelium habet, pelle opus est, ne ita facile id, quod machinantur, erumpat, & lupi formidanda imago in omnium oculos incurrat; testantur id luculenter tot libri à Tertulliano, Origene, Chrys. Hier. Augustino, aliisque Ecclesiæ Patribus conscripti, quibus id unum sæpe agunt, ut orthodoxâ in S. textum commentatione malam hæreticorum fidem in lucem protrahant. Atque ne in re aded manifestâ actum agere videamur, unicum Vincentii Lirinensis adducemus testimonium. *Videas, inquit, eos volare per singula quæque Sanctæ legis volumina . . . lege Pauli Samosatensis opuscula, Priscilliam Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium: Cernas infinitam exem-*

plorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris testamenti sententiis fucata & colorata sit. Ità ille commonet c. 35. Quod Vincentius de priscis, idem nos de recentioribus, & heri natis affirmamus. Quod, quo jure faciamus facile est colligere, ex Lutheri, Calvinii, Jansenii operibus, ex Quesnellistarum hexaplis, sexcentisque aliis ejusmodi schediasmatibus, undique Patrum testimoniis plenis ac fartis.

VII. AFFINIS proximè relatæ fraudi est illa, quâ aliquem ex SS. Patribus, atque inter ceteros quidem Augustinum suas in partes trahere conantur. Persuadent enim facile sibi, hoc se sub clypeo tutos fore, nec facile futurum, ut Ecclesiâ hæresim feriat tanti Doctoris speciosum nomine. Ariani magno strepitu sibi vindicabant Dionysium Alexandrinum insignis virtutis atque eruditionis virum, ipsum dum contra Sabellium disputavit, sua omnino ad castra transiisse, tanto contentes studio, ut necesse habuerit S. Athanasius apologiâ suâ hanc illis è manu clavam extorquere. S. Hieronymus acriter perstringit Ruffinum, quod viri cujusdam apprimè orthodoxi, & Sancti (Joannis nomine) auctoritatem se sequi in libri sui fronte jactarit. Cyrillum porro Alexandrinum Eutyches, & Monothetistæ sibi vindicabant, uti paulò ante Nestoriani Athanasium. Augustinus demum, utpote contra hæreses plurimas sibi è diametro oppositas præliatus, omnium maximè idoneus visus est hæreticis, ut ex eo in suam quisque rem aliquid decerneret. Hinc ut testis est Baron. ad ann. 490. vix diem suum obierat S. Doctor, mox prædestinatiiani erexere caput, suum maximè de operum bonorum ob Dei præscientiam, atque prædestinationem inutilitate errorem maximè ex Augustini libris de prædestinatione confarcinabant, alia plurima ex libris de lib. arbitrio, quæ in rem eorum non faciebant, callidè dissimulantes; secuti exemplum Nestorianorum, qui ea duntaxat ex Athanasio decerpserunt, quæ contra Apollinari hæresin Nestorianæ extremè oppositam hinc inde dixerat. De recentioribus quid attinet dicere, neminem enim fugit, quam ridiculum ex tractis variis Augustino laciniis Wicleffus, Lutherus, Calvinus, ac post illos Jansenius cum suis sibi ex Augustini operibus centonem confuerint. Adeat qui volet ipsorum autographa, aut Scip. Maffei historiam Theologicam.

VIII. Huc recidunt plures aliæ id genus technæ, ad quas vasrum hoc homi-

num genus nullo non tempore confugit: Tales sunt; dogmatum & librorum suorum ab Episcopis emendicare approbationes, obedientiam erga Romanum simulare Pontificem, errore se lapsos fateri, librorum correctionem polliceri, & similia; ut nempe torquendum in se Vaticanum fulmen tantisper suspendant, dumque suos recidunt libros, novis errores suos vocibus involvant, credulæque tandem plebeculæ vitiosas hosce merces, tanquam si probæ solent, impune venditent. Hos porro fucos, cum quidam naris emunctioris homines olfecerint, atque in lucem protraxerint, apologiarum, schediastatum, satyrarum; ludorum, conviciorum, quibus bonos hosce viros communi studio proscindunt, nullus est finis.

IX. Cum demum post adhibitam frustra per annos complures lenem ulceribus manum, adhiberi incipiunt cauteria, quid magis irritato huic crabonum examini solenne est, quam acerba nimis, imo & iniqua querianathemata? Testari Deos Deasque omnes, nil simile unquam sibi in mentem venisse, aliam prorsus, quam qui verbis affingitur, iis inesse vim sensum, potestatem? Celebre hæc in re exemplum dedit Paulus Samosatenus, qui etsi Christum Deum esse negasset publicè, ita tamen, ut refert *Theoret. l. 2. hist.* apud convenientes Antiochiæ Episcopos se hæc de re purgavit, ut pestiferi hujus dogmatis opinionem à se feliciter amolitus, atque à Patribus, tanquam homo, qui palinodiam canere videbatur, impune tantisper dimissus fuerit, proscripto solo dogmate; usque dum larvâ hæc ipsi haud multò post detractâ universâ paulò post in oriente congregata synodus ipsum unâ cum dogmate suo proscrispsit, ita demum repullulantem hanc hydræ exanimans, cui prior lenitas vires novas & animos dederat. Eandem in Ecclesiâ occidentali cantilenam occinuit Zosimo Papæ Cœlestius, & Augustino Pelagius, quam si ita facillè intellexisset Zosimus, ut Augustinus, non tot opus, fuisset in Africâ synodis, quæ dogmatis ejus sensum, hominisque versutissimæ mentem excuterent, ac demum sententiâ decretoriâ execrarentur. Lutherus porro, quàm dexterè viris etiam acutis imposituerit, testantur satis Erasmus in ep. ad *Albert. Archiep. Moguntinum*, quâ ita ejus causam suscepit, ut Illustrissimus iste Præsul suum tantisper suspendere iudicium, sanctæ Romanæ sedis ex ulterius disquirenda permittens, Sanctum hæc in re imitatus Bernardum, qui etiam cùm Petrum Abailardum de hæresi suspectum haberet,

excerptos ex ejusdem libris errores ad Innocentium misit pontificem, ejus se pariturum iudicio promittens. Quandoquidem hic de Luthero incidit mentio præterire non possumus formulam illam, quam ipse, ut omnem à se hæreseos suspensionem amoliretur, Thomæ de Vio Cajetano Legato Pontificio, haud ægrè dedit in hæc verba: *Ego Frater Martinus Luther protestor me colere, & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, presentibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra vel aliter dictum fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.* Vid. Rainaud. ad ann. 1518. Quis non credidisset Lutherum ad Catholicorum cœtum rediisse postliminio; nisi hæreticorum genium jam olim Hier. in ep. ad Pammach. &c. detexisset, ita eos loquentes inducens: *Facile dicam perjurio, quod mox alio solvam perjurio.* De Jansenii denique factione quid pervulgatius, quàm quod varios Patriarchæ sui propositionibus sensus assuere, verba duriora emollire, in Calvino reprehendere, quod nimis apertè, per voces illas *gratiæ necessitantis, & urgentis, servi arbitrii* &c. Mentem prodiderit, dulioranda nonnihil fuisse ea per suavia gratiæ *relative superioris, delectationisque Cœlestis* nomina. Atque hinc ut testatur Illust. Fernelonius in *præfat. ad epistolas*, & P. Daniel *dissert. supra rel.* commune hoc in Ipprensi scholâ est proloquium: *Calvinum optime docuisse. Sed malè fuisse locutum.*

X. DEMUM animadverti hic diligenter volumus, solenne etiam præcis temporibus fuisse hæretico gregi, desperatis reliquis omnibus ad subtilem illam divisionem in quæstionem *juris & facti*, tanquam ad supremam in naufragio anchoram confugere, atque ut hæreticorum tantum principes commemoremus, inter primos, qui hanc stropham adornarunt, fuit Arius; cujus demum, ut frangerent contumaciam, bimembri (ut refert post Theodor. Baron.) opus erat formulâ, cui ex Concilii mente omnes subscriberent; primo quidem membro fides adstruebatur Catholica: Altero Arianæ verba & errores destruebantur. Hinc *Socrat. l. 1. c. 6. ait de Nicænis Patribus: Impia . . . dogmata Arianæ . . . perquisita sunt: Unde placuit Concilio communibus suffragiis anathema denunciare ejus nefariæ opinioni, & verbis, sententiisque execrabilibus.* Hinc Eusebius eum tribus aliis Episcopis pertinacioribus apud Concilium ita se purgat aut potius accusat, in epist. quam ex exilio dedit ad synodum inquitens: *Non eam ob causam non subscripsimus, quod fidem illam incusarem, sed quod minimè credere-*

mus cum, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse. Huic quoque fraudi per Cœlestium per tot annos adhibitæ nē porro locus foret, Leo Papa ep. 85. Septimum adversus Pelagianum sic instruxit: *Qui se correctos videri volunt, errorem suum, & NB. ipsos erroris auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur.* Jucundissimum quoque est legere in actis Chalcedonenſis Concilii, quomodo Patres Theodoretum semper nē quā elabi posset, constrinxerint ad damnandam non solum doctrinam sed & personam, & mentem Nestorii. Aliqua inde delibemus. Act. 8. itā refertur: *Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Theodoretus modo anathematizet Nestorium. Theodoretus . . . dixit: Preces obruli Imperatori & libellos . . . Episcopis . . . legantur coram vobis, ut sicut sapio cognoscatis. RR. Episcopi clamaverunt nihil relegi volumus: Modo anathematiza Nestorium.* At cum semper eisdem ludos faceret Theodoretus, identidem urgebant Episcopi: *Clare dic anathema Nestorio, & dogmatibus ejus . . . dic aperte &c.* Dum tandem fulminis in se torquendi metu Theodoretus dixit anathema Nestorio; quod simul ac factum fuerat, judices dixerunt: *Omnis jam dubitatio est soluta: Quippe Nestorium coram nobis anathematizavit.* Eant nunc Novatores, & appellent S. sedem Lutherana ista formulā: *A Pontifice malè informato ad Pontificem melius informatum.* Provocent ad Concilia Oecumenica, tueantur se quæſtione juris & facti, aliisque id genus præſidiis, ut nempe erudito orbi magis planum faciant, quorum ipsi de grege ſint, quorumque mores ſectentur.

§. 2.

Conveniunt etiam doctrinæ.

PELAGIUM suos potissimum errores habuisse ex gentilibus; puta Socrate, Pythagora, Zenone aliisque Philosophis ethnicis, docuit jam tum olim S. Hier. & Illustr. Scipio Masſejus nuperrimè ex Platone, Laertio, Senecā, Lactantio, aliisque antiquis scriptoribus, dilucidè non minùs, quàm eruditè ostendit. Hist. Theol. l. 7. sub init., aded ut non injuriā quondam Tertullianus gentiles illos Philosophos vocārit *Patriarchas hæreticorum.* Quod itaque ille de Philosophis, hoc nos æquo ſi non majori jure pronunciamus de hæreticis veteribus comparatè ad recentiores. Quos inter quàm propè in quibusdam ad Pelagii, Soinosæ, Baji, & Calvini doctrinam accedat Quesnellus, jam tum ex infirmitate ostensum reperimus à viris in Theo-

logiâ dogmaticâ versatissimis. Ac primam quidem in se spartam suscepit author dissertationis, quæ in Galliâ prodiit hoc titulo: *Les nouveaux Pelagiens Jansenistes.* Alterum executus est P. Fontana T. 4. à c. 15. ad 21. 3tium, author libelli, cui titulus: *Jansenius omnem religionem evertens.* Postremum denique P. Livin. de Mayer in suo *Eleuth.* Et clariùs post ipsum author libelli, qui inscribitur: *Les Caracteres de l'erreux dans les defenseurs de Jansen. & du P. Quesnel. & Fontana tom. I. c. 7.* Imò Quesnellum usque aded cum veteri Judæorum synagogâ conspirare idem ostendit Fontana tit. 3. pag. 132--147. Lutheri quoque plagia detexit P. Fetter, in libro quam vocat: *Luthers Bettler Mantel.* Hoc est consarcinata Lutheri penula. Quare ne in immensum opella hæc quam suscepimus, excreſcat, nēve actum agere, & ab aliis toties dicta videamur velle recoquere ad solius hæc quam potissimum impugnandum suscepimus, Jansenii dogma vela contrahamus; ostensuri sequentibus: Quantum ejus doctrina de variis naturæ statibus, de morte Christi pro solis justis, de gratiâ item sufficiente, & efficace cum priscis hæreticis conspirat; ut vel inde appareat omnibus, quam ineptè Patriarchæ & capiti suo hæresis notam inustam fuisse querantur tam pulchro parente digni Iprenses filii.

I. GRATIAM naturæ integræ fuisse debitam naturæ, neque à gratiâ creationis distinctam caput quali erat Pelagianæ hæresis. Eandem suscitavit denuò Luth. in c. 3. Genes. ubi ait: *Justitiam Adami innocentis non fuisse quoddam donum . . . sed fuisse verè naturalem.* Item tam naturalia ipsi fuisse credere Deo agnoscere Deum, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. Hunc secutus videtur Calvinus l. 1. instit. c. 15. §. 4. Utrumque secutus est Baji in damnatis à tribus Pontificibus articulis 21mo, 26to, item primo & tertio inter 79. Hosce Baji errores ejusdem retractatione sopitos suscitavit Jansenius locis pluribus: Reliquorum instar ſint ſequentes: 1. *Gratia dilectionis Dei non potest sine culpa subtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo debita est.* Tom. 2. edit. Lovan. col. 762. 2. *In Angelis (idem fuisset in Adamo si perseverasset) neque merita neque perseverantia sunt specialia Dei dona.* T. 3. col. 395. 3. *Clara Dei visio nequit negari creaturæ innocenti.* col. 797. Ex quibus facile eruitur, quid ſenſerit, etsi non ita dilucidè mentem promat, ut Luth. & Calvinus, explicata enim hæc & fucata minus loquendi ratio in illis ipsi semper displi-

displevit: Ex quo natum viderur commune illud Iprensis scholæ axioma. *Calvinus optime sensit, at male locutus est.* Vid. Font. & Fenel. epistolas.

II. GRATIAM purè sufficientem, quam etiam in statu naturæ lapsæ unanimi consensu docent Catholici, quantum explodant Janseniani, iis solis ignotum esse potest, qui sparsa ab his proximis hisce annis opuscula ne primoribus quidem digitis attingerunt. Sufficiat ex Jansenii lib. 3. c. 1. locus ille, ubi adstruendæ per reliquum volumen hæresi, hoc subternit fundamentum: *Post lapsum Adæ, inquit, nullum datur adiutorium verè sufficiens, quin simul sit efficax.* Haussit id ex Calvino, Luthero, Bajo, eorumque sequacibus. Calvinus ita loquitur de gratiâ naturæ lapsæ instit. l. 2. c. 2. *Gratia voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni aut resistere aut obtemperare, sed illam efficaciter afficiendo.* Hinc Hollandi in *specimine Contrave monstrantium* art. 72. Hæc in Calvinum uruntur commentatione: *Gratia . . . adeo est efficax, & omnipotens tractio, ut homines ejusmodi tractationi resistere nec velint, nec possint.* Idem adeo docent, quod quondam (fati tantum nomine in gratiam commutato) de fato docebant gentiles, & ex ipsis Simon Magus (ut post Epiphanium testatur Origenes l. 3.) ac demum Manichæi, aliique, ut refert August. vid. P. Cozza comment. hist. dogm. c. 1.

III. FAMOSUS ille *Catechismus de gratiâ* à sede Apostolicâ sæpius proscriptus, sed ne damnatus videretur, mutato semper titulo recusis Jansenii & Quæsnelli doctrinam de prædestinatione sat prodit, dum quærit qu. 66. *Vultne Deus solos electos salvos fieri?* Respondetque ita; *eos tantum salvare vult, quos prædestinavit, at solos electos prædestinavit &c.* Quem errorem Jansenius & socii compilarunt ex Calvino, Theod. Beza, Hieron. Zancheo, Willemo &c. &c. Pestiferum hoc dogma ab antiquis prædestinatis acceptum hæreditario quasi jure Iprensi familiæ transcribentes. Sententia tamen hæc etsi maximo, cum his temporibus renasceretur, horrore esset Catholicis auribus, ita modò consuetudine mollita videtur, ut plures etiam Catholicos sæculares Theologiæ parum gnaros non parum afflaverit: Vide quæ diximus *Part. I. Cap. ult.*

IV. EOSDEM planè errores de extinto libero arbitrio, quos Aug. olim contra Manichæos operosè confutandos sus-

ceperat, recoxerunt hac ætate Luther l. de servo arbitrio. Calvinus, Bajus, ac demum Jansenius, ut cuius notum est, ingenuèque faterur Calvinista celebris Petrus Jurieux his verbis apud Fontana. T. 1. ad prop. 25. c. 3. *Verum est, quod (Jansenista) ad nos omnino accesserunt in materiâ de gratiâ.*

V. CHRISTUM pro omnibus mortuum esse jamtum olim negavit Saturninus Menandri discipulus (relte Cozza T. 1. c. 3. p. III.) quam hæresis etsi Centuriatores, Danaus, & Thomas Ittigius in suâ de hæresi dissert. eo forte prætermittant consilio, ne, ut inquit Cozza, videantur hunc errorem à Saturnino desumpsisse; Irenæus tamen & Epiphanius apertissimè Saturnino tribuunt. Eundem postea majori strepitu recuderunt Prædestinatiani, ut prolixè ostendit Petav. de Incarn. l. XIII. cap. VII, asserentes Christum pro solis prædestinatis mortem oppenisse: Quorum postea vestigiis ita accuratè insisterunt Armachani, ut, si quis nosse cupiat (verba sunt Petavii l. c.) *quæ fuerit antiquorum Prædestinatorum hæresis, ex Armachanis id facile possit animadvertere, cum omnia illorum venena in propriam consista sectam . . . transulerint.* In quo pergit idem Author, *superioris sæculi imitati sunt hæreticos, quos dixi, Calvinus & Lutherus; in quibus vel exortos primum, si nulli hætenus existerant; vel instauratos, si qui aliquando fuerint, ac rediitros Prædestinarios agnoscimus.*

VI. DEMUM ut hætenus dicta, quasi in pugnum coacta unum sub conspectum demus; sufficiet recitare ex Petavio summa Armachanæ hæreseos capita; quæ eum in modum ab iis concepta erant, ut si eorum nomini Calvinum aut Jansenium substituas, ipsos hos loqui existimes.

PETAVII hæc verba sunt: *Asserebat ergo Lucidus ex Prædestinatorum sententiâ, quæ hoc tempore cum nuperis hæreticis Armachani docent: Primum nullum in hominibus post Adami lapsum inesse liberum arbitrium ejus videlicet nomine, ac notione dignum: Sed omnem salutis administrationem & justitiæ ab solâ pendere gratiâ . . . deinde Christum negabat pro aliis esse passum, quam pro iis qui reverâ salvi fiunt: Quod utrumque plenis buccis personant novi dogmatis patrum; qui nec germanam libertatis humanæ rationem retinent . . . Adhæc præscientiâ sive prædestinatione trahi putabat electos ad vitam, reprobos autem ad interitum,*

aded ut in istorum potestate non esset perseve-
rare, vel salutem adipisci; sed in exitum
fatali quâdam necessitate volverentur. *quod item Armacani sentiunt, qui impossi-
bilem talem esse perseverantiam usque in finem
asserunt, ed quod nullum ad id auxilium ido-
neum gratia suppeditari volunt: Quod nec
esse potest, nisi sit aliqua salutis danda volun-
tas in Deo: Et si desit, omnis est interclusus
ad perseverantiam & salutem aditus. Hæc
vero mera monstra sunt, & deliria prædesti-
nationum &c. Hactenus Petav. l. c. Unum
itaque, in quo à Lucido recentiores dis-*

crepant, est; quod non, ut ille, suos re-
cantent; sed cum pertinacia tueri pergant
errores.

Atque hæc, quantum opinor, cui-
vis etiam Theologiæ non magnopere gna-
ro sufficient ad agnoscendos refellendos-
que familiari in congressu Jansenianorum
errores. Quare & hic dislerendi scriben-
dique finem facimus; volentes simul; ut
siquid incautis minus sanum ac rectum ex-
ciderit, id pro non dicto, atque re-
ipsâ revocato habeatur.

F I N I S.

